DISSERTATIO IVRIDICA
SISTENS

PROCESSVM IVRIS ROMANI ANTIQVVM,

Die alte Römiſche Proceß-Ordnung.

QVAM PRAESIDE

IO. SAMVELE STRYKIO

D. PROFESSORE PVBLICO AC FACVLTATIS IVRIDICAE DECANO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
ET PRIVLEGIA CONSEQVENDI
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVBMISIT

CHRISTOPHORVS CELLARIVS
WEISSENFELSENSIS.

WITTENBERGAE,
APVD EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDIVM.
MDCCXLV.

Biblioteca Nazionale V.E. III Napoli
Conte di Camaldoli
Digitized by Google

Digitized by Google

VIRIS ILLVSTRISSIMIS

IOANNI FRIDERICO
DE RHETZ,

ET

DANIELI LVDOLPHO
L.B. DE DANKELMANN,

POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBVRGICI
CONSILIARIIS STATVS INTIMIS, HVIC ETIAM
GENERALI RERVM BELLICARVM
COMMISSARIO,

ACADEMIAE FRIDERICIANAE
CVRATORIBVS SVPREMIS,

DOMINIS GRATIOSIS
PATRONIS MAXIMIS

FELICITATEM.

Digitized by Google

VIRI ILLVSTRISSIMI

Etſi animus mihi praeſagit, fore, vt reprehenſionem incurram, quod VOBIS, in quos ſumma reſpublica incumbit, & grauiſſimis quotidie curis diſtenti eſtis pro patria, viliorem hanc exercitationem inſcribam: tamen multae etiam rationes ſunt, quae me cum apud alios, tum maxime Veſtro in iudicio, BENIGNISSIMI PATRONI, ſpero, excuſabunt. Magnorum enim ingeniorum, hoc eſt, quae Veſtris ſunt aequalia, haec ſemper natura eſt atque indoles, vt in maximis etiam negotiis, pro republica ſuſceptis, aliquid otio literarum dent, neque illos reiiciant, qui ſtudiorum cauſſa fauori ſe illorum commendari cupiunt. Praeſtantia enim virtutis & animi magnitudo facit, vt minus ſe impediri credant, quum aliorum ſtudiis & lucubrationibus interpellantur, quia qua agendi dexteritate ſunt, vtriſque rebus aut vniuerſis etiam ſufficiunt, nec, dum toti in re publica ſunt, ceterarum rerum ſtudia, praeſertim litterarum, re-

ſpicere

Digitized by Google

ſpicere dedignantur. Hoc illud eſt, quod fauſtum mihi ſignum ad bene ſperandum tollit, certo fore, vt hoc officium meum, quo VOS colendos mihi duxi, & demiſſam obſeruantiam haud aſpernati, porrecta fronte, quam offero diſſertationem, pro conſuetudine Veſtra accipiatis. Sed haec communis mihi ratio cum multis eſt, nec vni Patronorum generi applicanda. Ipſi grauiſſimis curis Veſtris, quas Fridericianae impenſas voluiſtis, aliud argumentum excuſationis, idque propius, mihi praebetis. Si enim haec Academia VOBIS ſummae curae eſt, vti eſt; quid erit, quod aliter VOS de ſingulorum ſtudiis, quam de omnium benigniſſime iudicare credamus? nec eſt, cui ſtudia mea dicare magis velim, quam VOBIS, MAXIMI PATRONI, ſub quorum curis inſtitutisque illa hucusque & enutrita ſunt, & Deo fauente educata. Id quod ſpem mihi etiam praeclaram facit, futurum eſſe, vt praeſidium iis haud denegetis, qui, CVRATORIBVS VOBIS, ſua ſtudia, in ea, cui praeeſtis, Academia perſequuntur. Satis mihi hoc excuſationis eſſet, ſi nullam propiorem & vere domeſticam rationem haberem. Quo enim adfectu adhuc parentem meum proſequuti ſitis, haud intra paucorum conſcientiam conſiſtit: cui chorus Muſarum & eruditi omnes gratulantur de Veſtra voluntate, quam non incertis aut ſubobſcuris,

ſcuris, ſed luculentiſſimis ſignificationibus toties comprobaſtis, &, quae Veſtra eſt bene merendi conſtantia, nondum ceſſatis aperte comprobare, & in dies teſtatiorem facere. Quod vt mihi atque ipſi praedicandum aeque eſt: ita fiducia Veſtrae bonitatis non deſpero, qui tanta in illum beneuolentia eſtis, mihi quoque meisque ſtudiis non defuturos eſſe. Accipite ergo, ILLVSTRISSIMI DOMINI, vt conſueuiſtis, hoc meae erga VOS obſeruantiae ſempiternae teſtimonium, idque non ex operis vilitate, quod ſentio quam ſit exiguum; ſed ex ſtudio & ardore VOS colendi, aeſtimate, mihique Veſtro praeſidio atque fauore frui, benigne ac gratioſe, quod vnice rogò, concedite. VI. Idus Iun. cIↄ Iↄc XCVIII.

ILLVSTRISSIMIS VESTRIS
NOMINIBVS

deuotiſſimus
CHRISTOPHORVS CELLARIVS.

CON-

Digitized by Google

CONSECTARIA.

I.

Edictis praetoriis male Principum conſtitutiones comparantur.

II.

Hodie omnia iudicia ſunt extraordinaria.

III.

Non prodeſt hodie L. 18. ff. de in ius voc. *quippe qua violentam in ius tractionem priuata auctoritate factam reſpicit.*

IV.

Otioſa quaeſtio eſt, an ſicut libertus patronum, ita vaſallus dominum in ius vocare non poſſit?

V.

Nec non, an Magiſtratus ſine venia vocari poſſit?

VI.

Aut an proprii homines Nobiles vocare poſſint?

VII.

Miſſio in poſſeſſionem bonorum latitantis, plane diuerſa eſt a miſſione hodierna poſt ſententiam.

VIII.

Editio actionis, qua hodie vtimur, longe aliena ab Romana eſt.

IX.

Materia ſatisdationum, prout in tit. ff. qui ſatisd. cog. *traditur, hodie nullum vſum habet.*

X. *Mi-*

Digitized by Google

X.

Minus commode L. 7. §. 1. qui ſatisd. cog. *iudicis noſtris inferioribus applicatur.*

XI.

Diſtinctio inter pacta nuda *&* non nuda *hodie inutilis eſt.*

XII.

Nec non inter pacta in continenti *&* ex interuallo adiecta.

XIII.

Simili modo inter contractus nominatos & innominatos *hodie nihil intereſt.*

XIV.

In contractibus innominatis poenitentiae facultas hodie non ſupereſt.

XV.

Inutilis quoque diuiſio inter actiones bonae fidei *&* ſtricti iuris.

XVI.

Nec non diſtinctio inter ſtipulationes praetorias *&* iudiciales, *quum oriatur ex diſtincto officio Praetoris & Iudicis pedanei.*

XVII.

Nec maiorem vtilitatem hodie producit diſtinctio inter modos tollendi obligationem ipſo iure *&* ope exceptionis.

PROOE-

Digitized by Google

PROOEMIVM.

INter imperia & respublicas, quas Deus ab orbe condito eſſe voluit, eminere atque primas partes Romanam ferre, non tam noſtro ingenio confiſi, quam eruditorum adiuti conſenſu atque ſuffragio cenſemus. Siue enim finium amplitudinem & numerum prouinciarum, ſiue copias & exercituum robur, ſequutamque rei militaris gloriam, ſiue denique opera mirabiliter quam plurimis locis exſtructa ad animum aduocamus, omnia ſumma, nulliusque cum gentis magnitudine comparanda intelligimus. Sola iuſtitiae adminiſtratio eſt, in qua forte aliae gentes & nationes ſuperauerunt. Nam quum exactis regibus nobiliores omnem rempublicam ad ſe pertraherent, non defuerunt ex illis, qui plebem variis modis ſupprimere conarentur. Atque huc multum conferre rebantur, ſi omnia negotia, tam publica quam priuata, maxime tamen forenſia, certis formulis includerent, vt imperita plebs ſine ipſorum voluntate nihil poſſet peragere, quum neceſſum haberet, adire peritos, & ſui quemque negotii, ne cauſ-

Digitized by Google

ſam perderet, agendi formulam petere. Et quamuis Cn. Flauius, Appii Claudii ſcriba, librum, quo actionum formulae perſcriptae erant, publici iuris feciſſet, vt quisque formulam, qua agi decebat, eligere ipſe poſſet: neceſſitas tamen ICtos conſulendi, per librum illum nequaquam fuit ſublata, quum formulae tantum de certis actionibus in illo haberentur, longe vero plura negotia obuenirent, de quibus nullae extabant formulae. Quo factum fuit, vt omnis iuſtitiae adminiſtratio penes patres eſſet, qui pro lubitu ab ſimplicitate Iuris gentium recedentes, cuncta negotia variis difficultatibus ſubtilitatibusque inuoluebant, de quo etiam Cicero conqueritur *Orat. pro Muren. cap. XI.* Vnde non mirum, ſi forma proceſſuum, qua hodie vtimur in foro, longe diuerſa ab Romana deprehendatur, quod libere nunc agimus, hoc eſt, ſine formulis, quamuis & multum conferant diuerſitas Praetoris & Iudicis pedanei, in ius vocatio priuata auctoritate facta, editio auctionis, & alia infinita. Haec autem, quum noſtris moribus abhorreant, ſua ſponte conſequitur, multas leges quoque Romanas minus commode noſtris temporibus accommodari, quum plane diuerſa ratione nitantur, ſi Romanorum ſtatum atque rempublicam conſideramus. Ratio autem anima legis eſt, *L. quum ratio 7. ff. de Bon. damn.* quae vt inueſtigetur, multum confert, hiſtoriam proceſſus Romani perſpectam habere: cuius vero accuratiorem plenioremque deſcriptionem adhuc deſideramus. Laudanda equidem *Caroli Sigonii & Iacobi Raeuardi* opera, qui multa egregia ad hunc finem facientia contulerunt, nec minus Duacenſis ICti, *Franciſci Polleti*, cuius Hiſtoria fori Romani omnino defectum aliquatenus

nus ſupplere potuiſſet, niſi morte praeuentus, opus imperfectum reliquerit, in ipſo proceſſu cauſſarum priuatarum, quem libro quinto deſtinauerat, fatali neceſſitate ſublatus. Dedit & *Georgius Obrecht*, Argentoratenſis, adumbrationem quandam Proceſſus Romani, ſed nimis reſtrictam, nec ſine inſignibus naeuis, qui hinc inde in illa obſeruantur. Quod eo magis nos extimulauit, vt paucas has ſchedas, in priuatum vſum a nobis collectas, ſpeciminis Inauguralis loco ad diſquirendum proponamus, vt & nos edoceamur, ſicubi erratum fuerit, & alios forte alliciamus, vt maiori cura ſtudioque idem argumentum, ex Romanorum antiquitatibus illuſtrandum, adgrediantur. Ceterum propoſitum nobis fuit, vno modo ac ordine vtrumque Proceſſum, tam iudicii publici quam priuati delineare: quum vero praeter opinionem, priuata iudicia diſſertationis modum fere exceſſerint, publica in aliud tempus differemus. Tu vero B. L. inſtituto noſtro faue, & niſi ex aſſe exſpectationi ſatisfaciamus, conatus tamen noſtros aequa interpretatione ac fauore adiuua.

CAPVT I.
DE PRAETORE.

SVMMARIA.

1. Iuri Ciuili Romae Praetor praefuit.
2. Vocabuli Praetoris Homonymia.
3. Occaſio creandi Praetorem.
4. 5. Eius poteſtas circa leges.
6. Vrbani & Peregrini Praetorum diuerſitas.
7. Vrbanus, *Honoratus* dictus.
8. 9. 10. Quando auctus Praetorum numerus?
11. Fidecommiſſarios Praetores quis adiecerit?
12 Quis Tutelarem?
13. Priuatis litibus ſoli peregrinus & Vrbanus Praetores praefuerunt.
14. Notatur Bachouius.
15. Singulis annis edicta proponebant Praetores.
16. 17. Quae annalia erant.

18. Tra-

Digitized by Google

18. Tralatitia edicta quae?
19. Auctor edicti perpetui.
20. Edicta in Albo propoſita.
21. Album duplex.
22. Omnes actiones certis formulis incluſae.
23. Quarum adminiſtrator Praetor.
24. Ineptam formulam petens cauſſa cadebat.
25. Vnde in dubio duplicem poſtulabant.
26. Petitam Praetor dare oportebat.
27. Actiones Vtiles & in Factum, quare ſic dictae?
28. Actio Praeſcriptis verbis quae?
29. Contractuum nominatorum & innominatorum origo.
30. Communis ratio reiicitur.
31. Faſti dies qui?
32. Cognitionum dies qui?
33. Exercere conſilium quid?
34. Quid Praebere?
35. Conſilium hoc quinam formauerint?
36. Adſeſſores conſilii perpetui fuere.
37. L. 2. ff. de Off. eius, cui mand. iurisd. explicata.
38. Poſtulationum dies, qui?
39. 40. De plano quando cognoſcebat Praetor?
41. 42. Quando pro tribunali?
43. Locus, in quo tribunal.
44. Tribunalis forma.
45. Subſellia vbi locata?

1 VAriorum Magiſtratuum, qui reipublicae Romanae praefuerunt, ſoli fere Praetores erant, qui quam maxime iuris dicundi cauſſa conſtituti fu-
2 ere. Quamuis enim Praetoris vox generalior eſt, ita, vt omnes Magiſtratus contineat, *Ant.* Contius 2. *Lect. Subſec.* 19. & non ſolum Conſules, ſed & Praeſides hoc nomine ſignificentur *L.* 15. *ff. de Iurisdict.* regulariter tamen ille Magiſtratus hoc nomine gaudebat, qui ſpeciatim iuris dicendi gratia conſtituebatur, cuius creationi diſſenſio inter patres & plebem, ac mutua
3 aemulatio originem dedit. Nam quum plebs Romana crebris ſeceſſionibus Patres tandem eo adegiſſet, vt Conſulatus dignitatem etiam plebi concederent, patricii alios quaeſiuere honores, & pro vno Conſule, plebeio, tres patricios Magiſtratus, Praetorem vnum & duos curules Aediles crearunt. Liv. *lib.* 6. *cap. vlt.*
4 *lib.* 7. *c.* 1. Excell. Thomaſius *lib.* 1. *Naeu. Iurispr. cap.* 7. Ne igitur plebs patricipando de conſulari dignita-

Digitized by Google

gnitate, ſimul de exercitio poteſtatis omnis participa-
ret, ſed illius praecipuam partem, iudicandi ſcilicet de
fortunis ciuium, ſibi retinerent Patres, Praetori o-
mnem poteſtatem legislatoriam indulſerunt, ſub ſpe-
cie interpretationis aequiſſimae aut adiumenti, adeo,
vt quamuis leges ferre non poſſet, eius edicta tamen
aequalem, atque aliae iuris ſpecies, auctoritatem ha-
berent. Non diu vero hic honos apud patricios man- 5
ſit, ſed breui poſt Romana plebs ex iuſta diffidentia
erga Patres, Praeturam aeque ac Conſulatum poſtula-
uit, quam & obtinuit C. Sulpitio Longo & P. Aelio
Peto Coss. primusque omnium Q. Publius Philo ex
plebe Praetor creatus eſt. Liu. *lib.* 8. *c.* 15. Atque 6
hoc modo communi conſenſu Praetor iuris ciuilis cu-
ſtos & diſceptator conſtitutus fuit, Cic. *lib.* 3. *de LL.*
c. 3. qui quum ſolus non ſufficeret tantae multitudini,
poſt aliquot annos eſt additus Praetor, qui ius idem
diceret, ſed diuiſis muneribus, ille inter ciues & pe-
regrinos, vnde alterum *Vrbanum Praetorem*, alterum
Peregrinum appellauerunt. Senec. *de Tranquill. Anim.*
c. 3. Pompon. *L.* 2. §. 28. *ff. de O. I.* Ita vero Vrba- 7
ni dignitas maior ampliorque fuit, vt velut proprio
cognomento *Honoratus* ab Ouid. 1. *Faſt. v.* 52. dicere-
tur, &, quod ab eo deſcendebat, *Honorarium*, vnde
honorarium ius, quod ciuili opponitur, *L.* 65. §. 3. *ff.*
ad SCt. Trebell. honoraria actio, quae itidem ciuili op-
ponitur *L.* 28. *pr. ff. de Leg.* 1. & legitimae *L.* 32. *pr.*
ff. ad L. Falcid. honoraria obligatio, quae a ciuili &
naturali ſeparatur §. 1. *Inſt. de Obligat.* honorarii ſuc-
ceſſores *L.* 7. §. 9. *ff. de Public. act.* Quod ad pote-
ſtatem tamen attinet, aequales erant, ita vt alter alte-
rius decreto potuerit intercedere. Caeſar *lib.* 3. *de B.*

Digitized by Google

8 C. *c.* 20. Aſcon. Ped. *in* 3. *Verr. pag.* 101. Prolatis imperii finibus etiam numerus Praetorum auctus eſt, & primum additi duo alii, qui conſules in prouinciis regendis adiuuarent, quibus mox deuictis Hiſpaniis totidem acceſſerunt, vt in vniuerſum ſex Praetores eſſent, e quibus duo in vrbe manebant, reliqui quatuor ſimul ac renunciati eſſent, in prouincias iuerunt,
9 quas ſors cuique adſignauerat. Perſtitit aliquamdiu haec conſuetudo, donec quaeſtiones perpetuae conſtitutae ſunt, quod factum Cenſorio & Manilio Coſſ. vbi quaeſtionibus praeficiebantur, & cum reliquis ex-
10 acto demum anno in prouincias profecti ſunt. Poſt haec Cornelius Sylla cum quaeſtionibus publicis & Praetorum numerum auxit, factique octo, vt Cic. *pro Milon. c.* 15. colligimus, ſecundum Pomponium vero *L.* 2. §. 32. *ff. de O. I.* decem, qui tandem ab Iulio Caeſare eiusque ſucceſſoribus adeo multiplicati ſunt, vt aliquando ſub Claudio Caeſare XVIII eſſent, qui ius
11 dicerent. Dio Caſſ. *lib.* 60. *pag.* 671. Conf. Lipſ. *ad Tac.* 1. *Ann. pag.* 15. Inter hos duo erant, quos Claudius Caeſ. adiecerat, qui *Fideconmiſſarii* dicebantur, & de fidecommiſſis diuiſo munere cum Conſulibus cognoſcebant, de maioribus quidem Conſules, de minoribus Praetores, Quinctil. *lib.* 3. *cap.* 8. cuius rei veſtigia ſunt in *l.* 29. *pr. de Leg.* 2. *L.* 3. *verſ. D. Pius ff. de Aliment.* Conf. Cuiac. *lib.* 21. *Obſ.* 34. Ger. Chiflet.
12 *lib.* 1. *de Fideconmiſſ. c.* 3. Addit & alium M. Antonius Imp. qui tutelaribus cognitionibus praeeſſet, vnde *Tutelaris Praetor* appellatus, de cuius officio ſingularem librum ſcripſerat Vlpianus, qui laudatur a
13 Modeſtino *L.* 6. §. 13. *ff. de Excuſat.* Ex his autem ſoli Vrbanus & Peregrinus Praetores priuatorum diſcepta-

ſcepta-

Digitized by Google

ſceptationibus vacabant, quorum tanta poteſtas & au-
ctoritas fuit, vt non ſolum ipſorum edicta certam iu-
ris ſpeciem conſtituerent, ſed etiam, vt adiuuare, ſup-
plere & corrigere eis ius ciuile liceret. *L.* 7. §. 1. *ff.*
de I. & I. Feneſtel. *de Magiſtrat. cap.* 19. Vnde 14
non tantum praeter ius, ſiue de iis, quae lege ſancita
& expreſſe vetita non erant, ſtatuebant, vt Bachou.
ad ff. in Prolegom. p. 55. contendit, ſed etiam contra
ius ciuile ſubueniebant, e. g. dum bonorum poſſeſſi-
onem ſecundum vel contra tabulas dabant, quorum
vtroque modo ciuili Iuri contradicebatur. Excell.
Thomaſ. *Naev. Iuriſpr. lib.* 1. *c.* 7. *pag.* 34. Vt igi- 15
tur omnibus notum facerent, quemadmodum quis-
que ſuo anno ius dicturus eſſet, in Albo edicta conſti-
tuere ſolebant, quae ab edicendo, hoc eſt, denunci-
ando, appellata ſunt, quod ſtatim inito Magiſtratu,
habita concione & iurati in leges faciebant. Cic. 2. *de*
Finib. c. 22. Haec primis temporibus in eum tantum 16
annum valuerunt, quo is Praetor erat, qui propoſue-
rat, vnde Cic. 1. *Verr. c.* 42. praetorium edictum *Le-*
gem annuam appellauit, & praetoriae actiones, quae
rei perſequutionem non habent, intra annuum com-
petere dicuntur *L.* 35. *pr. ff. de Obl. & Act. pr. Inſt.*
de Perp. & temp. Act. Conf. Illuſtr. Stryk. *de Action.*
F. I. ſect. 3. *m.* 3. *ax.* 3. *n.* 1. Quum vero nihilominus 17
Praetores, quaeſtu & ambitione ducti, ſaepe ab illis
recederent, & Albi ſcripturam mutarent, C. Corneli-
us, Tribunus Pl. legem tulit, vt Praetores ex ſuis e-
dictis perpetuis ius dicerent, & quod ſemel Cal. Ian.
edixiſſent, id toto Praeturae ſuae tempore ſeruarent.
Dio Caſſ. *lib.* 36. *pag.* 19. Aſcon. Ped. *in Or. Cic. pro*
C. Cornel. pag. 123. Anton Auguſtin. *de LL. tit. de LL.*
Corn.

Digitized by Google

Corn. Add. Excell. Thomaſ. *cit. loc. pag.* 37. Frantz.
ad ff. de O. I. n. 35. Diſſent. Coras. *lib.* 3. *Miſcell. c.* 6.
Nic. Bellon. *Supputat. Iur. lib.* 2. *c.* 9. *n.* 5. Budaeus
18 *in L.* 2. *ff. de. ſtat. Hom.* Alciat. 3. *Diſpunct. c.* 17. An-
teceſſorum autem edicta, in quibus ſequebantur no-
ui Praetores, ea *tralatitia* dicebantur, quaſi non noua
& nuper inuenta, ſed a Praetoribus iam antea vſurpa-
ta & ex veteri Albo in nouum translata. Cic. 3. *Verr.*
c. 44. Vnde Plin. *lib.* 10. *c.* 29. tralatitium pro vſita-
to accepit, & pro eo, quod frequentatur. Vid. *Guil.*
19 Budaeus *ad L.* 11. *ff. de Act. Emt.* Tandem vero Ha-
driano imperante Saluius Iulianus haec Praetorum e-
dicta in vnum collegit & in ordinem digeſſit, additis
interpretationibus multis & eruditis, quibus, etiam e-
dictis ipſis, auctoritas legis data, primum SCto, dein-
de Hadriani Imp. conſtitutione, vt Iuſtinianus ait *L.*
2. §. 18. *C. de Vet. iur. enucl.* Et hoc poſtea *perpetu-
um edictum* appellatum eſt, cuius fragmenta exhibent
Iac. Gothofred. *in Font. Iur. Ciu.* Simvan Leuven *de*
20 *Orig. & Progr. Iur. R. p.* 309. Conf. *Franc.* Connan.
Comm. Iur. Ciu. lib. 1. *c.* 15. Ipſa edicta in tabula de-
albata proponebantur, quam *Album Praetoris* voca-
bant, quod ita deſcribit Vet. Gloſſa: *Album Praeto-
ris eſt quaedam tabula dealbata, poſita pro roſtris, in
qua proponebantur edicta Praetoris, vt facile ex emi-*
21 *nenti conſpicerentur & legerentur.* Duplex hoc Al-
bum fuiſſe, aliud edictorum, aliud formularum, ob-
ſeruat *Iac.* Raeuard. *Protribun. cap.* 4. argumento *L.*
2. §. 7. *ff. de O. I.* ex quo colligit, Album formula-
rum iam olim fuiſſe perpetuum, edictorum vero ſin-
22 gulis annis variaſſe. Diſſ. Vultei. 1. *Diſc.* 6. Omnes e-
nim actiones certis formularum incluſae erant cancel-
lis,

Digitized by Google

lis, ne plebs pro lubitu actiones inſtitueret, ſed quod idcirco in omnibus cauſſis conſuli debebat, donec tandem Cn. Flauius, Appii Claudii ſcriba, librum, quo formulae actionum erant deſcriptae, Claudio ſurreptum, maximo plebis leuamento, publici iuris fecit.
Atque ex hoc tempore actionum formulas in Albo 23
proponere ſolebat Praetor, quarum diſpenſator quaſi adminiſtrator ipſe fuit, ita, vt qui iudicio vellet contendere, is eius iudicii actionisque formulam, quae in Albo ſcripta erat, a Praetore poſtulare deberet. In 24
huius petitione, qui errauerat, & non eam, qua agere debebat, petiiſſet, aut ex errore plus re, vel loco, vel cauſſa, vel tempore complexus eſſet, (nam & res petita & cauſſa petendi ipſi inſerebatur formulae) cauſſa cadebat. Cic. 2. *de Inuent. cap.* 19. *&* §. 33. *Inſt. de* 25
Action. Vnde etiam, ſi incertum eſſet ac dubium, quae potius actio competeret, duas dictabant, ſed proteſtabantur, ſe ex altera duntaxat velle ſuum conſequi. *L.* 1. §. 4. *ff. quod Legator.* Praetor autem, ſi mo- 26
do idoneam & adpoſitam actor formulam poſtulaſſet, recuſare non poterat, quamuis in quibusdam cauſſis non, niſi ea cognita, actionem daret, veluti de dolo *L.* 9. §. 5. *ff. de Dol.* cuius ratio eſt in *L.* 11. *&* 13. *ff. eod.* in actionibus popularibus *L.* 2. *ff. de pop. Action.* in actione iniuriarum *L.* 15. §. 34. *&* 44. *ff. de iniur. &c.*
Sed quoniam formulae non niſi de certis actionibus 27
eſſent conceptae, longeque plura obuenirent negotia, quam actionum nomina in Albo eſſent perſcripta, Praetor tali caſu aut ipſe extra ordinem de controuerſia cognoſcebat, aut ſubſidiariam actionem dabat, quae modo VTILIS *L.* 4. §. 7. *ff. Fin. regund. L.* 26. §. 3. *ff. de Pact. dot.* & ſimilibus confeſtim citatis a Vult.

ad §. II. *I. de Action. n.* 33. modo IN FACTVM dicebatur, ſiue ex contractu *L.* 13. 22. *ff. de P. V.* ſiue ex delectis *L.* 25. *ff. de O. & A. L.* 12. *ff. de in ius voc.* ſiue ex aliis cauſſis obligatio nata. Conf. Ill. Stryk. *de*
28 *Action. ſel. inueſt. Sect.* 1. *m.* 2. §. 5. & 25. *ſeqq.* In contractibus tamen actio vt plurimum *Praeſcriptis verbis* dicitur, quod in illis verba, quibus agendum erat
29 a ICto, praeſcribebantur. Ex hac autem formularum conceptione famoſa diſtinctio inter *contractus nominatos & innominatos* ſuborta, quum illi, qui certam formulam in Albo conſtitutam habebant, nominati dicerentur, reliqui vero, in quibus pro natura negotii verba praeſcribi debebant, innominati. *Dion.* Gothofred. *ad rubr. ff. de P. V. litt. o.* Vaconius a Vacuna *lib.* 1. *Declarat. Iur. Ciu.* 26. *n.* 4. Huber. *ad ff. tit. de P. V.*
30 *n.* 2. Neque enim eorum nobis arridet ſententia, qui nomina contractuum nominatorum adeo ex ſua natura & verborum interna indole adfecta volunt, vt aliis negotiis applicari nequeant: neque contractuum innominatorum quaedam adeo generalia, vt certis ſpeciebus non poſſint adſcribi, quum eadem opera populus Rom. & permutationem & donationem &c. inter nominatos contractus collocare potuiſſet, nihil omni-
31 no natura vocabulorum repugnante. Henninges *ad Grot. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 2. Non tamen omnibus diebus Praetor ius dicebat, ſed tantum faſtis, quos deſcribit Macrob. *lib.* 1. *Saturn. c.* 19. illos, eſſe quibus praetori tria verba ſolemnia fari licuit, *Do*, *Dico*, *Addico*. His tribus verbis omnis Praetorum poteſtas in iudiciis notabatur. Primum enim Iudicis, Bonorum poſſeſſionis ac tutoris dationem ſignificat: ſecundum, iuris dicendi ac ferendae ſententiae poteſtatem: tertium, iudicatum faciendi ac exſequendi. *Franc.* Connan.

Comm.

Digitized by Google

Comm. Iur. Ciu. lib. 7. *c.* 9. *n.* 5. Io. Brodaeus *lib.* 3.
Miſcellan. c. 17. Ex his faſtis diebus ſtatuti erant, 32
quibus ſingulis, diuerſis fori negotiis operam dabat
Praetor, ita, vt certo de poſtulationibus, alio cogniti-
onibus occuparetur. *L.* 73. *ff. de Iudic. l.* 5. *ff. de Ma-
numiſſ. vindict.* Cognitionum die aut *praebebat conſili-
um,* aut *exercebat.* Exercere conſilium dicebatur, 33
quando adhibito conſilio de rebus cognoſceret, quae
ſingularem cauſſae cognitionem requirebant, & poſtu-
lationum die dilatae erant, quorſum etiam procurato-
ris poſt litem conteſtatam mutationem refert *Ant.*
Muret. *ad L.* 2. *de Off. eius* &c. ob. *L.* 17. *ff. de Procu-
rator.* Praebebat conſilium, quando adhibito conſilio 34
de rebus cognoſceret, quae abſque decreto Magiſtra-
tus expediri prohibiti erant, v. g. ſi manumittere vel-
let minor *L.* 4. §. 2. *ff. de Manumiſſ. vind.* aut reſti-
tutionem in integrum peteret *L.* 24. §. *vlt. ff. de Mi-
nor.* Vid. Raeuard. *Protribunal. cap.* 9. & 13. Hoc 35
conſilium ſub Auguſto decem Senatores formabant,
ſub Antoninis autem & Alexandro, quinque Senato-
res & totidem Equites, Vlpian. *in Fragm. tit.* 1. quos
eosdem cum Decemuiris litibus iudicandis fuiſſe ſu-
ſpicatur Raeuard. *cit. l. cap.* 18. quorum Pomponius
meminit *L.* 2. §. 29. *de O. I.* eosque Magiſtratus vo-
cat, qui haſtae praefuerint, & ſine quorum conſilio
Praetor de grauioribus negotiis nihil decreuerit. Con-
ſentit Broidaeus *in Supplem. Hiſt. For. Pollet. lib.* 5. *c.*
6. Hi vero adſeſſores conſilii certi & perpetui erant, 36
non ſingulis cognitionum diebus electi, vt manifeſte
teſtatur Cic. 4. *Verr. c.* 29. & 33. Vnde in *L.* 2. *ff. de* 37
Off. eius cui mand. Vlpianus eum, cui mandata eſt iu-
riſdictio, negat conſilium exercere poſſe, non hoc ſen-

B 2 ſu,

Digitized by Google

ſu, ne aliquot prudentes in conſilium adhibeat, ſed
ne decemuiros, aut in prouinciis vigintiuiros, qui in il-
lis *Recuperatores peregrini* dicebantur, conuocet. Conf.
38 *Iac.* Raeuard. *c. l.* Poſtulationibus duobus modis o-
peram dabant Praetores, aut *de plano*, aut *pro tribu-
nali* Haec enim ſibi inuicem opponuntur in *L.* 3. §. 3.
ff. de B. P. L. 1. *ff. ad SCt. Turpill. L.* 18. §. *vlt. ff. de*
39 *Quaeſt.* Planaria cognitio fiebat, quum ſella curuli po-
ſita in loco extra tribunal poſtulatoribus de cauſſis,
quae nullam altiorem cognitionem requirebant, ius
redderent, quod nonnunquam in via facere cogeban-
40 tur, quoties adpellerentur aut adirentur. Vnde etiam
moris erat, vt poſt Praetorem per regiones vrbis vicoſ-
que obambulantem curulis ſella veheretur, & ita non
ſtans, ſed ſedens ius redderet. *Iac.* Raeuard. *Protrib.
cap.* 7. Quo ſenſu accipiendum, quod. Max. de Sci-
pione, Africani filio, ſcribit *lib.* 3. *c.* 5. *n.* 1. & de Per-
ſeo Macedone Liu. *lib.* 41. *cap.* 20. Conf. *Sibrand. Te-
tard.* Siccama *de Centumuir. Iudic. lib.* 1. *c.* 3. vbi co-
gnitionem hanc non tantum ſolemnibus ſeſſionum di-
41 ebus, ſed etiam feriatis fieri ſolitam adfirmat. Pro tri-
bunali ius reddere dicebatur Praetor, quando in tri-
bunali & ordinario loco ſedens de cauſſis, in quibus
42 ſolemnibus verbis agere moris erat, cognoſceret. Vn-
de decretalem bonorum poſſeſſionem non niſi pro
tribunali dare poterat, *L.* 3. §. 8. *ff. de B. P.* edictalem
econtra etiam de plano *L.* 2. §. 1. *ff. quis ord. in. poſſ.*
43 *ſeru.* Locus, in quo tribunal locatum, ab initio Comi-
tium erat, quod pars fori Romani fuit, vbi Roſtra e-
rant, poſt plerumque Baſilica, quarum plures in foro,
cinctae porticibus concameratis, ita, vt in vna parte
iudicia, in altera negotia mercatorum exercerentur.
Vi-

Digitized by Google

Vitruu. *lib.* 5. *c.* 1. Alciat. *lib.* 1. *praetermiſſ. p.* 253. Ipſum tribunal locus erat ſublimis & editus, qui per gradus conſcendebatur, capax admodum, curuatus paullulum, ut conciperet quaſi in circuitu adſtantes, de cuius forma vid. Raeuard. *c. l. cap.* 7. Sibr. T. Siccama *c. l. lib.* 1. *c.* 3. Budaeus *ad L.* 1. *ff. d. Iudic.* Pollet. *lib.* 1. *Hiſt. For. Rom. c.* 6. Ioach. Stephan. *Lib.* 3. *de Iurisdict. c.* 3. *n.* 34. 44
Circa tribunal ſubſellia locari ſolebant, quae iudices, teſtes, accuſatores, aliosque capiebant, & in minoribus iudiciis, (puta Tribunorum, Triumuirorum, Quaeſtorum) ipſum praeſidem. Aſcon. Ped. *in Div. Verr. pag.* 34. ibique Paull. Manut. Medium ſpatium auditores implebant, qui in orbem quaſi, & circulum tribunal circumſtabant, vnde etiam totum auditorium *corona* dici coepit. Vſi ſic coronae vocabulo Cic. *pro Flacc. cap.* 28. Plin. *lib.* 2. *ep.* 14. *lib.* 6. *ep.* 33. *n.* 3. Conf. Pollet *lib.* 1. *Hiſt. For. cap.* 7. 45

CAPVT II.

DE IVDICIBVS.

SVMMARIA.

1. Connexio.
2. Ordinarii Iudices *Centumuiri.*
3. De quibus cauſſis cognouerint?
4. Iudicium centumuirale priuatum fuit.
5. Qui iſti praefuerint?
6. Haſta inſigne iudicii priuati.
7. Centumuiros decemuiri conſcribebant.
8. 9. Quomodo iudicarint?
10. Iudices quando dederit Praetor?
11. Eorum poteſtas ad formulam adſtricta.
12. Quomodo ab Arbitris differant?
13. Origo Actionum b. f. & ſtricti iuris.
14. Explicata formula: *Exceptiones in bon. f. iudiciis ineſſe ipſo iure.*
15. Explicatur §. 30. Inſt. de Act.
16. 17. Iudicis dati diuerſa appellatio.
18. 19. Recuperatores quinam.
20. Eligebantur iudices a litigantibus.
21. Ratio L. 77. ff. de Iudic.

Digitized by Google

22. 23. Electum iudicem Praetor partibus addicebat.
24. Eique in verba litis ius componebat.
25. Inuito obtrudi Iudex non poterat.
26 Origo iuramenti perhorreſcentiae.
27. Iudices a Praetore quotannis legebantur.
28. 29. Decuriae Iudicium quotnam?
30. Formula Praetoris dandi Iudicem.

1 Diximus de Praetore, nunc, antequam de ipſo Pro-
2 ceſſu agamus, paucis de Iudicibus. Ordinarii
olim iudices in priuatis cauſſis Centumuiri erant, qui
a numero adſeſſorum appellati ſunt, ſed rotundo,
quum Pomp. Feſto auctore CV eſſent, ex ſingulis
ſcil. tribubus, quarum XXX Romae erant, tres, qui ſe-
quentibus temporibus ad CLXXX aucti ſunt. Plin. *lib.*
6. ep. 33. Sibr. T. Siccama *de Centumuir. Iud. lib.* 1.
3 *cap.* 8. Pollet. *lib.* 3. *Hiſt. F. R. c.* 13. Hi vero non de
omnibus cauſſis, ſed tantum de quibusdam iudicabant,
quae idcirco *centumuirales* dictae, quarum potiores
enarrant Cic. 1. *de Orat. c.*38. Dion. Gothofr. *ad L.* 17.
ff. de Inoff. teſt. Nec tamen hae centumuirales cauſſae
tantum in aequitatis & iuris quaeſtione ſitae erant,
ſed etiam de leuibus quibusdam iudicatum, maxime
libera reipub. vt diſerte ait Auct. *Dial. de Orator. cap.*
38. *n.* 3. Imo grauiores cauſſae apud Praetores & Iudi-
ces ac recuperatores, a Praetoribus datos, magis co-
gnoſcebantur, quam apud centumuiros, apparet ex Cic.
cit. loc. & cap. 39. Auct. *Dial. cit. loc.* Conf. vir ſum-
mus *Io. G.* Graeuius *in Praef. Tom.* 2. *Theſaur. Antiq.*
Rom. Diſſentiunt Raeuard. *Protrib. c.* 11. Sibr. T. Sicca-
4 ma *c. l. c.* 6. Sigon. *l.* 1. *de Iud. c.* 22. Separant hoc cen-
tumuirale iudicium a priuatis aeque ac publicis Cuiac.
l. 10. *Obſ.* 20. & S. T. Siccama *c. l. c.* 7, ex quorum ta-
men argumentis nihil aliud colligi poteſt, quam non-
nul-

Digitized by Google

nulla in centumuiralium iudiciorum ordine diſcrepu-
iſſe ab iudiciis recuperatoriis & aliis priuatis, non au-
tem centumuiros non fuiſſe priuatos. *I. G.* Graeuius *cit.*
loc. Ipſum iudicium ante Auguſtum Caeſarem Quae- 5
ſtura functi cogebant, poſt decemuiri litibus iudican-
dis, teſte Sueton. *Aug. cap.* 36, quos Magiſtratus,
qui haſtae praefuerint, Pomponius vocat *L.* 2. §.
29. *ff. de O. I.* Haſta autem inſigne priuati iudicii 6
fuit, & inter ea inſignia refertur, quorum Vlpianus
meminit *L.* 1. *ff. de Poſtul.* cur Praetor vtriſque lumini-
bus orbatum pro aliis poſtulare prohibeat, videlicet,
quod inſignia Magiſtratus videre & reuereri non poſ-
ſit. Non tamen ſolus Praetor haſtam figebat, ſed cen-
tumuiri quoque: vnde *centumuiralis haſta* apud Sue-
ton. *Aug. c.* 32, de qua vid. *S. T.* Siccama *c. l.* 2. *c.* 3.
Conſcribebantur autem centumuiri a decemuiris in 7
quatuor conſilia, ſeu iudicia, qui ita diuiſi in baſilica,
Iulia plerumque, quatuor diuerſa tribunalia circum-
ſedebant, quibus ita praeſidebat Praetor, vt medius inter
eos eſſet, a dextra parte duo tribunalia habens, toti-
demque a ſiniſtra. Plin. *lib.* 5. *ep. vlt.* & *lib.* 6. *epiſt.* 33.
Quintil. *lib.* 12. *cap.* 5. Ger. Nood. *lib.* 1. *de Iuriſd. c.* 12. 8
Iac. Raeuard. *Protribun. cap.* 20. Haec quatuor con-
ſilia ſic exercebantur, vt qui primo tribunali diceret, fa-
cile a reliquis exaudiretur, & ſic de vna eademque
cauſſa ſimul vno tempore cognoſci poſſent. Val. Max. 9
lib. 7. *cap.* 7. Vnde facile euenire poterat, vt duobus
tribunalibus vinceret actor, duobus vinceretur, quor-
ſum etiam reſpexit Papinianus *L.* 78. *ff. de Leg.* 2, vbi
filium diuiſis tribunalibus actionem inofficioſi te-
ſtamenti matris pertuliſſe tradit. Add. *L.* 10. *ff. de Inof-*
fic. teſtam. Plin. *lib.* 6. *epiſt.* 33. *n.* 5. Cuiac. *l.* 10. *obſ.* 20.
Quod 10

Digitized by Google

Quod ſi vero non tam de iure quam facto diſceptare-
tur, Praetor Iudices dabat, qui de ſolo facto cogno-
ſcentes ſecundum formulam praeſcriptam iudicabant,
quam excedere non poterant. Senec. 3. *de Benef. c.* 7.
11 Duaren. *in Apol. de iuriſd. n.* 2. Hinc iudex datus ad
reſtituendum fundum, ſi apparuit fundum alterius
eſſe, adiudicare eum non poterat, vt ex Cicerone pro-
bat Gouean. *ad L.* 2. *ff. de Iuriſd. n.* 3. Add. *L.* 7. *ff. de*
12 *Confeſſ.* Pollet. *lib.* 3. *Hiſt. For. c.* 15. Quo ipſo ab *Ar-
bitris* diſcernebantur, quorum poteſtas libera & nullis
adſtricta vinculis erat, & ſententiam ſuam regere po-
terant, non prout lex & iuſtitia ſuaderet, ſed prout
humanitas aut miſericordia impelleret. Senec. *cit. loc.*
13 Et ex hoc fundamento originem traxit diſtinctio inter
Actiones bonae fidei & *ſtricti iuris*, quum in his ad
formulam adſtringeretur Iudex: in illis vero ex bono
& aequo aeſtimare poterat, qui alter alteri praeſtare
deberet. §. 30. *I. de Action.* Ant. Guibert. *Quaeſt. Iur.
cap.* 9. *n.* 15. Vult. *in* §. 1. *I. de Act, n.* 47. Car. Sigon.
lib. 1. *de Iudic. cap.* 22. Vnde & Praetor in formula,
quam dabat arbitris, addebat, QVANTVM AEQVIVS
MELIVS SIT DARI, vel QVIDQVID SIBI DARE,
FACERE OPORTERET EX FIDE BONA. Briſſon.
14 *de Formul. lib.* 5. *p.* 382. Et inde etiam eſt, quod in mul-
tis legibus dicitur, exceptiones in b. f. iudiciis ineſſe
ipſo iure, vt in *L.* 84. §. 5. *ff. de Leg.* 1. *L.* 3. *ff. de Re-
ſcind. Vend. L.* 21. *ff. de Solut.* quum iudex earum ra-
tionem habere debebat, etſi coram Praetore illarum
plane nulla facta eſſet mentio: contra, non inerant in
ſtricti iuris actionibus, ſed neceſſe erat, vt inſerentur a
15 Praetore ipſi formulae. Ex quibus facile intelligi
poteſt, quod in §. 30. *Inſt. de Action.* dicitur, olim com-
pen-

Digitized by Google

penſationem, quae ipſo iure tollit debitum, tantum
locum habuiſſe in b. f. iudiciis, & ex reſcripto D. Mar-
ci demum, oppoſita doli mali exceptione, in ſtricti
iuris iudiciis introductam fuiſſe. Vid. Huber. *ad Inſt.*
de Action. §. 29. Datus autem a Magiſtratu iudex, 16
vſitate & ex re ipſa *Iudex datus* dicebatur, *L.* 46. *ff.*
de iudic. & *ſpecialis iudex L. vlt. ff. de Off. Praet.* & *Iu-*
dex pedaneus L. 4. *ff. de Tut. & Cur. dat.* ita nomina-
tus, quod ex imo loco ſedens iudicaret, & pedibus hu-
mum calcaret. Donell. *lib.* 17. *Comm. c.* 21. *p.* 998.
Quae appellatio communis fuit omnibus, qui in ſub- 17
ſelliis conſidebant, quibusque tribunal aſcendere fas
non erat, ſiue hi minores Magiſtratus Romae eſſent,
ſiue municipales. Raeuard. 3. *Coniectan.* 20. Hillig. *in Do-*
nell. lib. 17. *c.* 21. *litt. I.* Erant etiam alii, qui *Recuperato-* 18
res dicebantur, quaſi apud eos certatum fuerit, de recu-
perando eo, quod alteri abeſſet. Nec tamen in ſolis
interdictis vſurpati, vt fere ſentit Ioach. Steph. *lib.* 3.
de Iuriſd. c. 8. *n.* 6, ſed & in mutuo & aliis, vt ſatis li-
quet ex Cic. 3. *Verr.* Imo & iniuriarum iudicium re- 19
cuperatorium Cicero vocat *lib.* 2. *de Inuent. c.* 20, quod
Praetores legem XII. tabb. *ſi iniuriam faxit*, XXV
aeris poena ſunto, aboleuerant, iniuriisque aeſtimandis
recuperatores ſe daturos edixerant, teſte Gell. *lib.* 20.
c. 1. Tale autem negotium tribus plerumque recupe-
ratoribus committebatur, vt videre licet in Verrinis Ci-
ceronis, & apud Liu. *lib.* 26. *cap.* 48. Plura de iis vid.
apud Petr. Nann. *lib.* 9. *Miſcell. cap.* 6. Marc. Donat.
ad Tacit. 1. *Ann. c.* 74. *pag.* 131. Coras. *lib.* 3. *Miſcell.*
cap. 18. Sigon. *lib.* 1. *de Iudic. cap.* 22. In collocando 20
autem iudice neceſſum erat, vt vtraque pars litigan-
tium in perſonam dandam conſentiret, Cic. *pro Cluent.*

C vnde

Digitized by Google

vnde conſenſu litigatorum Iudices conſtitutos fuiſſe, tradit Papinianus *L.* 33. *ff. de Appellat.* eaque de cauſſa, qui nominatim iudicem petebat, aduerſarium interrogare ſolebat, an in hunc Iudicem conſentiret: qua in re vſitata fuiſſe verba: *Si alium procas, niue*
21 *eum procas* &c. Feſtus auctor eſt. Et haec ratio eſt *L.* 77. *ff. de Iudic.* in qua Africanus ICtus adſerit, in priuatis iudiciis patrem filium, & filium patrem iudicem habere poſſe, quum omne ſuſpicionis periculum
22 conſenſu aduerſarii tollatur. Hillig. *in Donell. lib.* 17. *c.* 25. *litt. H.* Si igitur Iudex, quem actor nominabat, reo non diſpliceret, tunc inter actorem & reum conuenire dicebatur, Val. Maxim. *lib.* 2. *cap.* 3, quam poſtea Praetor partibus ex conuentione addicebat, *L.* 30. *ff. de Iudic.* Reuard. *Protribun. c.* 11. Broidaeus *in Supplem. Pol-*
23 *let. Hiſt. For. lib.* 5. *c.* 5. Et ita accipiendum, quod paſſim in iure noſtro de addicto iudice dicitur, v. g. *L.* 39. *L.* 46. *L.* 80. *ff. de iudic. l.* 4. *ff. quod. cert.*
24 *loc. L.* 59. §. *fin. ad SCt. Trebell.* Addicto itaque partibus iudice, Praetor in verba litis ius componebat, actionem vel pure, vel addita exceptione decernens, quo ſimul omnem controuerſiam in iudicem datum transferebat. Cic. 2. *de Inuent. cap.* 19. eiusque inter-
25 pres *Marius* Victorinus *in h. l. p.* 206. Quod ſi diſpliceret aduerſario nominatus iudex, ſufficiebat ſimplex eieratio his verbis: *eiero iniquus eſt*; aut etiam ſimplex reiectio per exclamationem: *hunc nolo*, vel *nolo hunc eligere*, nullo adlato alio ſuſpicionis argumento. Cic. 2. *de Orat. c.* 70. Plin. *Paneg. c.* 36. Cuiac. *lib.* 9. *Ob-*
26 *ſeru.* 23. Maynard. *lib.* 1. *Dec.* 87. *n.* 2. Atque ex hac conſuetudine eierandi iudicem, forte non incommode *Iuramentum perhorreſcentiae*, quo hodie in foro vtimur, dedu-

Digitized by Google

deduci poſſit, cuius fundamentum alias quaerunt in
L. vn. C. quand. Imper. inter pupill. quod itidem re-
medium eſt, quo quis ſe liberare poteſt a probatione
ſuſpecti Iudicis, quamuis hoc praecipue in gratiam a-
ctoris introductum, vt praeterito inferiore iudice ſta-
tim ſuperiorem adire poſſit. Meu. 6. *Dec.* 71. Conf. inte-
ger tractatus Feltmanni *de Iuramento Perhorreſcentiae.* 27
Non autem ex promiſcua plebe ſumebantur iudices,
ſed legebantur quotannis a Praetore, eorumque no-
mina in Album referebantur, quod *Album iudicum*
erat, ex quo ſumi ſolebant, qui de priuatis litigantium
cauſſis ſecundum propoſitam actionis formulam cogno-
ſcerent & ſententiam ferrent. Senec. *lib.* 3. *de Benef.* 28
cap. 7. Plin. *in Praefat.* Gell. *lib.* 14. *c.* 2. Selecti hi
iudices in duas decurias tempore Iulii Caeſaris diſtri-
buti erant, quibus tertiam M. Antonius poſt mortem
Caeſaris adiecit, quem grauiter eapropter exagitat 29
Cic. 5. *Philipp. c.* 6. His tribus quartam Auguſtus
adiunxit, Suet. *Auguſt. c.* 32. & tandem quintam Cali-
gula, Id. *Calig. c.* 19. Decuria vero tabula dicebatur,
in qua Iudicum nomina perſcripta erant, quam mo-
do Album diximus: neque enim decas aut ordo fuit,
vt quidam deſcribunt, vid. Caſaubon. *ad Suet. Aug.
c.* 32. Et haec ita, ſi de facto deque certo iure cogno-
ſcendum eſſet. Simplicem autem hanc & nudam ve-
ritatis cognitionem Praetor hac formula commenda- 30
re conſueuerat: *Si paret, Titium dare oportere &c.*
Haec enim in iudicibus dandis praecipua erat, quam
explicat Pompeius Feſtus *in verb. parret*, quod
idem ſit, ac inueniatur, vt compareat, appareat, cu-
ius rei plura exempla congeſſit Briſſon. *de Form.
lib.* 5. *pag.* 370.

CAPVT III.
DE IN IVS VOCANDO ET EDENDO.

SVMMARIA.

1. Ante vocationem amica litis compoſitio tentata.
2. Quod tamen non de neceſſitate.
3. Sicuti nec Editio actionis.
4. In ius vocare quid?
5. Ipſa vocatio priuata auctoritate fiebat.
6. Formulae, quibus vterentur?
7. Quomodo expedita vocatio?
8. 9. Anteſtationis ritus.
10. Qui nec Germanis incognitus.
11. 12. In ius vocatus obtorto collo rapi poterat.
13. Non tamen ſine praeuia anteſtatione.
14. 15. 16. Vocatio, quibus caſibus prohibita.
17. 18. Irreuerentium poena.
19. Aegroto vocato iumentum praebebatur.
20. Actor vocato eunti actionem edebat.
21. Quot editionum modi?
22. 23. Edita actio, quando mutari potuerit?
24. Rationes, cur ſine die & Coſ. ederentur?
25. Dies ſolutionis, quare edendus?
26. Edita actione reus vadabatur.
27. Vades, qui?
28. Quis habilis vas?
29. Reus vadibus deſtitutus in carcere cuſtodiebatur.
30. Ratio L. 2. §. 2. & 4. ff. qui ſatisd. cog.
31. Eundi neceſſitas a Praetore limitata.
32. Poſſeſſores rerum immobilium tantum cauebant.
33. Ciuis a peregrino rapi non poterat.
34. 35. Latitans, quot modis a Praetore euocatus?
36. Edictum Praetoris vbi adfixum?
37. Explicata L. 25. ff. de L. Corn. de Falſ.
38. Alterum & tertium edictum quando conceſſerit Praetor?
39. Edictum peremtorium, quale?
40. Eius verba.
41. Contumacia quomodo coercita?
42. 43. Venditio bonorum contumacis quo tempore facta?
44. 45. 46. Auctionum ſolemnia.
47. 48. Soluto debito, reſiduum quis acceperit?
49. 50. Quot decretis bon. poſſ. Praetor dederit?

1 Qui igitur litem alteri intendere in animo habebat, antequam in ius iret, per amicos plerumque intra parietes, quid proficere poſſet, experiebatur. Cic. *pro Quinct. cap.* 11. *pro Coecinn. cap.* 2. Liv. *lib.* 4. *c.* 9. Vbi

Vbi res ita componi non potuit, tum demum petitor 2
eum, a quo petebatur, in ius vocabat. Sigon. *de Iu-*
dic. lib. 1. *cap.* 18. quamuis & indicta cauſſa in ius vo-
cari potuiſſe, probet Plaut. *Perſ. act.* 4. *ſc.* 9. *v.* 8. *Age,*
ambula in ius, quid me in ius vocas? illic apud Praeto-
rem dicam, ſed ego in ius voco. Vnde facile euinci 3
poteſt, nec editionem actionis ante vocationem in ius
neceſſariam fuiſſe, P. Pithaeus *in Not. ad tit.* 2. *Collat.*
LL. Moſaic. Forſter. *Paratil. ff. de Edend.* Franz. *ad*
ff. h. t. Diſſent. *Anton.* Fab. *ad L.* 1. *de Edend.* Cuiac.
10. *Obſeru.* 10. Hub. Giphan. *de Ordin. Iud. c.* 12. Vultei.
ad Inſt. de Act. n. 44. Dn. Lyncker. *Protribun. p.* 31.
In ius autem vocare eſt experiundi cauſſa quem ad 4
eum, qui ius dicit, vocare, *L.* 1. *ff. h. t.* §. 3. *Inſt. de*
poen. tem. litig. quod cuilibet priuato licebat, ita vt ipſe, 5
qui acturus erat, aduerſario denunciaret, vt ſecum in
ius veniret, qui vocatus, ſi protinus non ſequeretur,
inuitus obtorto collo, ſecundum LL. XII. tabb. in ius,
ſiue ad Praetorem rapi poterat. Duaren. 1. *Diſp.* 1.
Obrecht. *de Iurisdict. lib.* 3. *c.* 33. *n.* 5. Formulae, qui- 6
bus hoc caſu vtebantur, erant: IN IVS EAMVS, vel
IN IVS VENI, SEQVERE AD TRIBVNAL, vel IN
IVS AMBVLA, quas variis exemplis illuſtrat Briſſon.
lib. 5. *de Form. pr.* Ipſa vocatio hoc modo expediri 7
ſolebat: Actor quum aduerſarium offendiſſet, illum
monebat, vt ſe in ius ſequeretur, eiusque vocationis,
ſi cunctaretur reus, proximum quemque teſtem in-
uocabat his verbis: LICETNE ANTESTARI? hoc 8
eſt, poſſumne te teſtem ſumere? ſi reſpondiſſet, LICET,
tunc actor teſtis auriculam attingebat, adiectis verbis:
Memento, quod tu mihi in hac cauſſa teſtis eris, de quo
anteſtationis ritu vide Gruter. 7. *Suſpic.* 15. Lil. Girald.

 Dia-

CAPVT III.
DE IN IVS VOCANDO ET EDENDO.

SVMMARIA.

1. Ante vocationem amica litis compoſitio tentata.
2. Quod tamen non de neceſſitate.
3. Sicuti nec Editio actionis.
4. In ius vocare quid?
5. Ipſa vocatio priuata auctoritate fiebat.
6. Formulae, quibus vterentur?
7. Quomodo expedita vocatio?
8. 9. Anteſtationis ritus.
10. Qui nec Germanis incognitus.
11. 12. In ius vocatus obtorto collo rapi poterat.
13. Non tamen ſine praeuia anteſtatione.
14. 15. 16. Vocatio, quibus caſibus prohibita.
17. 18. Irreuerentium poena.
19. Aegroto vocato iumentum praebebatur.
20. Actor vocato eunti actionem edebat.
21. Quot editionum modi?
22. 23. Edita actio, quando mutari potuerit?
24. Rationes, cur ſine die & Coſ. ederentur?
25. Dies ſolutionis, quare edendus?
26. Edita actione reus vadabatur.
27. Vades, qui?
28. Quis habilis vas?
29. Reus vadibus deſtitutus in carcere cuſtodiebatur.
30. Ratio L. 2. §. 2. & 4. ff. qui ſatisd. cog.
31. Eundi neceſſitas a Praetore limitata.
32. Poſſeſſores rerum immobilium tantum cauebant.
33. Ciuis a peregrino rapi non poterat.
34. 35. Latitans, quot modis a Praetore euocatus?
36. Edictum Praetoris vbi adfixum?
37. Explicata L. 25. ff. de L. Corn. de Falſ.
38. Alterum & tertium edictum quando conceſſerit Praetor?
39. Edictum peremtorium, quale?
40. Eius verba.
41. Contumacia quomodo coercita?
42. 43. Venditio bonorum contumacis quo tempore facta?
44. 45. 46. Auctionum ſolemnia.
47. 48. Soluto debito, reſiduum quis acceperit?
49. 50. Quot decretis bon. poſſ. Praetor dederit?

1 Qui igitur litem alteri intendere in animo habebat, antequam in ius iret, per amicos plerumque intra parietes, quid proficere poſſet, experiebatur. Cic. *pro Quinct. cap.* 11. *pro Caecinn. cap.* 2. Liv. *lib.* 4. *c.* 9. Vbi

Vbi res ita componi non potuit, tum demum petitor 2
eum, a quo petebatur, in ius vocabat. Sigon. *de Iudic. lib.* 1. *cap.* 18. quamuis & indicta cauſſa in ius vocari potuiſſe, probet Plaut. *Perſ. act.* 4. *ſc.* 9. *v.* 8. *Age, ambula in ius, quid me in ius vocas? illic apud Praetorem dicam, ſed ego in ius voco.* Vnde facile euinci 3
poteſt, nec editionem actionis ante vocationem in ius neceſſariam fuiſſe, P. Pithaeus *in Not. ad tit.* 2. *Collat. LL. Moſaic.* Forſter. *Paratil. ff. de Edend.* Franz. *ad ff. h. t.* Diſſent. *Anton.* Fab. *ad L.* 1. *de Edend.* Cuiac. 10. *Obſeru.* 10. Hub. Giphan. *de Ordin. Ind. c.* 12. Vultei. *ad Inſt. de Act. n.* 44. Dn. Lyncker. *Protribun. p.* 31.
In ius autem vocare eſt experiundi cauſſa quem ad 4
eum, qui ius dicit, vocare, *L.* 1. *ff. h. t.* §. 3. *Inſt. de poen. tem. litig.* quod cuilibet priuato licebat, ita vt ipſe, 5
qui acturus erat, aduerſario denunciaret, vt ſecum in ius veniret, qui vocatus, ſi protinus non ſequeretur, inuitus obtorto collo, ſecundum LL. XII. tabb. in ius, ſiue ad Praetorem rapi poterat. Duaren. 1. *Diſp.* 1.
Obrecht. *de Iurisdict. lib.* 3. *c.* 33. *n.* 5. Formulae, qui- 6
bus hoc caſu vtebantur, erant: IN IVS EAMVS, vel IN IVS VENI, SEQVERE AD TRIBVNAL, vel IN IVS AMBVLA, quas variis exemplis illuſtrat Briſſon. *lib.* 5. *de Form. pr.* Ipſa vocatio hoc modo expediri 7
ſolebat: Actor quum aduerſarium offendiſſet, illum monebat, vt ſe in ius ſequeretur, eiusque vocationis, ſi cunctaretur reus, proximum quemque teſtem inuocabat his verbis: LICETNE ANTESTARI? hoc 8
eſt, poſſumne te teſtem ſumere? ſi reſpondiſſet, LICET, tunc actor teſtis auriculam attingebat, adiectis verbis: *Memento, quod tu mihi in hac cauſſa teſtis eris,* de quo anteſtationis ritu vide Gruter. 7. *Suſpic.* 15. Lil. Girald.

Digitized by Google

Dialogiſm. 9. *circ. fin.* Franc. Modium *Lect. Nouanti-*
9 *que epiſt.* 9. Pollet. 5. *Hiſt. For. R. cap.* 1. Auricula au-
tem ſedes memoriae credebatur, Plin. *lib.* 11. *cap.* 45.
& vt frons antiquitus ſacra Genio, digiti Mineruae, ge-
nua Miſericordiae, ita auris Memoriae tributa fuit. G.
10 Obrecht. *Exercit. Iur. Antiqu. p.* 16. Illud adhuc notan-
dum, ſimilem anteſtandi ritum in veterum Germano-
rum legibus obſeruari, v. g. in LL. Boiar. tit. 2. re-
ferente Hotoman. *lib.* 3. *Obſeru.* 15. *Si quis teſtem ha-
buerit per aurem tractum de qualibet cauſſa, finita ra-
tione & hoc confirmant per teſtes, poſthaec non debet
repetere nec inquirere illum, a quo finiuit rationem ſu-
am. Et ſi voluerit, tunc per teſtes defendat ſe, illi te-
ſtes teſtificent, ſicut ſcit, vnde ad teſtem per aurem tra-
ctus fuit.* Et in LL. Ripuar. tit. 62: *Et vnicuique ala-
pas donet, & torqueat auriculas, vt ei poſtmodum te-*
11 *ſtimonium praebeant.* Facta anteſtatione, aut ire de-
bebat reus, aut pati, vt iniecta manu obtorto collo ad
Praetorem raperetur; quam vim quidem adhibitam
negant *Io.* Robert. 3. *Sentent. Iur.* 1. Guil. Forner. 3.
Select. Iur. 12. *Io.* Vaud. 2. *Quaeſt.* 26. Bachou. *in We-*
12 *ſembec. h. t.* Dn. Schwendendörff. *in Eckold. h. t.* §. 2.
ſed abunde cum legis decemuiralis auctoritate, tum
auctorum teſtimoniis, rationibusque ex LL. noſtris
adductis comprobant *Iac.* Raeuard. *ad LL. XII. tabb.*
c. 5. Cuiac. 7. *Obſ.* 10. Pollet. 5. *Hiſt. For. R. cap.* 1. P.
Perenon. 1. *Animaduerſ.* 19. Lud. Carrio 2. *Emendat.*
12. P. Nann. 12. *Miſcell.* 1. P. Buſius *ad L.* 1. *h. t.* Vultei.
1. *Diſcept.* 1. Add. Huber. *ad Inſt. de Poen. tem. litig.*
13 *n.* 5. Citra anteſtationem vero, ſi qui raperetur, iniuri-
arum actio locum habebat, Acron. Horat. interpres,
ad lib. 1. *Sat.* 9. Coras *ad* §. 12. *Inſt. de Action. n.* 5. 6.
niſi

niſi reus improbus & inteſtabilis, quem ſine anteſtati-
one rapi potuiſſe, probant *Ioach.* Hopperus *lib.* 3. *de*
Iuris Arte pag. 566. Raeuard. *cit. loc.* per locos Plauti
Aulular. act. 4. *ſc.* 10. & *Perſ. act.* 4. *ſc.* 9. Debebat au- 14
tem vocans rationem habere (1) *loci:* nec enim poterat
quis ex domo ſua extrahi, quum haec tutiſſimum cu-
iuslibet refugium ſit, *L.* 18. *ff. h. t.* cuius legis ratio v-
nice in priuata violentia conſiſtit, & idcirco hodiernis
citationibus, vbi per iudicem cuncta expediuntur, vix
tuto applicari poteſt: quamuis & hodie quidam iudi-
ces illud adeo ſancte attendunt, vt contumacem in
cauſſa ciuili potius ex platea rapiant, quam ex aedibus
extrahi curent. Vid. *Anton.* Gabriel *Comm. Concluſ.* 15
lib. 7. *concl.* 10. (2) *Temporis*, ne vocaret aliquem, dum
vxorem ducebat, quod etiam ad eos, qui nuptiis in-
terſunt, extendit Vmm. *Proceſſ. diſp.* 5. *th.* 6. *n.* 29.
arg. 3. *h. t.* vt, quod ibi commiſeratio, hic communio
gaudii efficiat: nec eum, qui funus ducebat, aut iuſta
faciebat mortuó, vel funus proſequebatur, &c. vid.
L. 2. 3. 4. *h. t.* Hahn. *ad Weſemb. h. t.* (3) *Perſonae*, vt 16
ſcil. non vocaret Magiſtratum, durante Magiſtratu, *L.*
2. *ff. h. t. L.* 48. *ff. de Iudic.* nec infantes & furioſos,
L. 4. *pr. h. t.* Bachou. *ad Weſemb. h. t.* nec eos ſ[illegible]
impetrata venia, quibus ſingularis reuerentia debetur,
L. generaliter 13. *h. t.* quod vltimum itidem hodie ceſ-
ſat, quum noſtris moribus nulla inferatur iniuria reo,
ab actore, quum iudex decernendo citationem, cauſ-
ſam citationis iuſtam declaraſſe videtur, quo caſu &
iure Romano edicti poena ceſſabat *L.* 15. *ff. h. t.* mo-
do tamen in libello pro impetranda citatione exprima-
tur reuerentiae vinculum, & verba in factum tempe-
rentur. Illuſtr. Stryk. *Vſ. Modern. ff. h. t. n.* 2. Hillig.
in

in Donell. lib. 23. *cap.* 3. *lit.* Z. In irreuerentes autem
17 iure Romano poena 50 aureorum ſtatuta fuit, quae i-
pſi vocanti applicabatur, non fiſco, poſt alios Schnei-
dew. *ad* §. 12. *Inſt. de Act. n.* 50. vnde hanc poenam
nec Princeps remittere poterat, *L.* 2. *C. h. t.* Cuiac.
18 *lib.* 10. *Obſ.* 10. Quod ſi inopia laboraret vocans, quaſi
inofficioſus caſtigabatur, *L. vlt. h. t.* ex quo tritum il-
19 lud: *qui non habet in aere, luat in corpore.* Aegrotum
vero & imbecillem ſi quis vocare vellet, iumentum
ei currumue dare tenebatur, ſecundum LL. XII
20 tabb. teſte Gell. *lib.* 20. *cap.* 1. Quod ſi igitur voca-
tus iret, actor ipſum, vt actionem ei ederet, ad Album
Praetoris deducebat, ibique formulam, qua aduerſus
eum vti volebat, indicabat, vt deliberare poſſit, an
cedere, an contendere vltra velit, & ſi contendendum
putaret, inſtructus veniret ad agendum, cognita acti-
one, qua conueniebatur. *L.* 1. *ff. de Edend.* Ang. Poli-
tian. *Obſeru. & Emend. c.* 82. Pius Anton. Bartolin.
Auctuar. Cap. 70. Duaren. 1. *Diſputat.* 13. Sigon. 1. *de*
21 *Iudic. c.* 19. Alios quatuor actionum edendarum mo-
dos referunt *Iac.* Raeuard. *Protrib. cap.* 4. & Steph.
Forcatul. *in Cupid. Iuriſp. c.* 17. (1) Si quis diceret,
qua actione agere vellet. (2) Si quis eius, quam alle-
gabat, actionis deſcribendae reo faceret copiam. (3)
Si actor ſuam intentionem libello complexus eſſet, &
eam ſic offerret aduerſario. (4) Si ex libello eam ad-
22 uerſario dictaret. vid. *L.* 1. *ff. de Edend.* Hanc edi-
tam actionem iure ciuili emendare aut mutare non
poterat, donec illius rigorem Praetor mitigaret, & an-
te litem conteſtatam id fieri permitteret, prout edicti
perpetui, qua parte eſt de edendo, monet auctoritas,
vt Impp. aiunt *L.* 3. *C. de Edend.* Vaconius a Vacuna

lib.

lib. 6. *Declarat. Iur. Civ.* 89. *n.* 1. 2. Vid. tamen Gilken. *ad cit. l. n.* 19, vbi certos caſus enumerat, quibus au- ctoritas edicti obſtiterit, quo minus etiam ante litem conteſtatam emendare eam aut mutare licuerit. At 23
poſtquam ex conſtitutionibus Principum iudices veteribus iſtis formulis dari deſierunt, etiam poſt li- tem conteſtatam eodem iudicio id fieri permiſſum fu- it, ita vt aliud pro alio, etiam ex alia cauſſa intendi poſ- ſit, vt diſerte ait Iuſtinianus §. 35. *Inſt. de Act.* quod neceſſario per mutationem actionis fieri debuit. Do- nell. *ad L.* 3. *C. de Edend. n.* 16. Vacon. a Vacuna *cit. l. n.* 6. Bachou. *ad cit.* §. 35. Franz. *ibid.* Vult. *ibid.* Dn. Lyncker. *Protribun. pag.* 43. vbi tamen Imp. verba *in cit.* §. 35. ad caſum reſtringit, quando actor ſine culpa ſua in facto errauit. Praeter actionem vero & ratio- 24
nes & inſtrumenta, imo omnia, quae apud iudicem editurus eſſet actor, edere debebat, *cit. L.* 1. §. 3. haec tamen, quum ad deliberandum tantum & praeparan- di iudicii cauſſa darentur, ſine die & conſule, hoc eſt, ſine anno & die, (Romani enim per Coſs. tempus de- ſignabant) cuius ratio datur in *cit. l.* §. 2. ne interea excogitetur aliquis modus, per calumniam arguendae falſitatis ex tempore, ſeu ne quid falſi fiat, aut mate- ria falſo fabricando praebeatur, vt in *L.* 2. §. 6. *ff. quem ad teſt. aper.* dicitur. Dies autem, in quem ſolutio 25
collata, edendus erat, quia eſt pars obligationis, *cit. L.* 1. §. 2. ſine quo tota edi non videtur, *L.* 1. §. *pen. h. t.* Conf. Pacian. *de Probat. lib.* 1. *c.* 66. Edita actione a 26
Praetore petebat actor, vt reum vadare permitteret, quod manifeſte docet Plaut. *Aulul. Act.* 2. *ſc.* 4. *v.* 40, vbi Euclio dicitur a Praetore poſtulaſſe, *vt ſibi liceret Miluum vadari*, hoc eſt, vades & ſponſores exigere,

de ſe ſiſtendo certo die, qui plerumque perendinus e-
27 rat, in iure, ſiue apud praetorem. Vades autem dice-
bantur, qui pro alio vadimonium promittebant, quos
ita dictos putat Acron *ad Horat. lib.* 1. *ſat.* 1, quod qui
28 eos dederat, vadendi haberet poteſtatem. Ipſe tamen
vas, ſeu fideiuſſor habilis, non tantum ex facultatibus, ſed
etiam ex conueniendi facilitate aeſtimabatur *L.* 2. *pr.*
ff. qui ſatisdar. cog. vnde & in *l.* 7. *ff. eod.* idoneus fide-
iuſſor & qui fori praeſcriptionem habet, hoc eſt, qui
non iurisdictioni illius iudicis ſubiectus eſt, coram quo
cauſa pendet, ſibi inuicem opponuntur. Vadimonii
formulam, qua vades fidem ſuam adſtringere teneba-
tur, ICtus concipiebat, Cic. *ad Q. Fr. lib.* 1. *ep.* 14, qua
concepta e iure diſcedebatur. Sigon. 1. *de Iudic. c.* 20.
29 Quod ſi vero reus idoneos fideiuſſores dare non pot-
erat, in carcere adſeruabatur in proximum poſtula-
30 tionum diem, Plaut. *Perſ. act.* 2. *ſc.* 4. *v.* 18. quae ratio
eſt, cur pro iis, quibus ſingularis debetur reuerentia,
etiam fideiuſſores minus idonei admittantur, iique pe-
nitus reiici non poſſint. *L.* 2. §. 2. *&* 4. *ff. qui ſatisdar.*
cog. quod tamen de ſola cautione in iure ſiſtendi, ac-
cipi, nec ad caeteras extendi volunt Vultei. *lib.* 2. *de*
iudic. c. 5. Dn. Lyncker. *Protribunal. p.* 35.

31 Hunc rigorem XII tabb. aliquatenus mitigauit Prae-
tor, vt ille, qui mox ad ſatisdationem & cautionem ſe
offerret, protinus ire neceſſum non haberet, vid. *rubr.*
32 *ff. in ius vocati vt eant, aut, ſatis vel cautum dent.* Vnde
etiam recte monet Reuard. *in LL. XII. tabb. cap.* 5.
poſſeſſores rerum immobilium ne quidem ad ſatisda-
tionem fuiſſe obligatos, dummodo ſimpliciter cauerint
& promiſerint, ſe ſtato die in iure futuros: *L.* 15. *ff. qui*
ſatisdar. cog. quia ſatisdatio iniungebatur, ne reus an-

te

Digitized by Google

te litem conteſtatam fugiens, ſententiam ferre impediat, Coras *in L.* 15. §.16. *ff. de Damn. infect.* quae fugae ſuſcipio in poſſeſſoribus immobilium ceſſat, *Peregrin.* Iannin *de Citat. reali* 1. *c.* 2. *n.*157. Valaſc. *Conſ.* 66. *n.*5, quum res ſoli amoueri nequeant, Robert. 3. *Sent.* 21, huiusque contumacia per miſſionem in bona facile coerceri poſſit. Bene tamen notandum, haec omnia ſic 33
olim locum habuiſſe, ſi Romanum ciuem ciuis Romanus in ius vocaret: ſi enim cum hoſte, hoc eſt, cum peregrino manus conferenda, nec rapi, nec trahi ciuem per peregrinum paſſi ſunt decemuiri, ſed diem duntaxat condici, quod indicant tabulae: *ſi ſtatus dies cum hoſte venito*: quemcunque autem peregrinum olim hoſtem dictum fuiſſe, auctor eſt Cic. *lib.* 1. *Offic. cap.* 12. Conf. Macrob. *lib.* 1. *Saturnal. cap.* 16. Raeuard. *cit. loc.*

Quod ſi vero is, a quo petebatur, latitaret, nec 34
vllam ſecum agendi poteſtatem faceret, quum de domo extrahi non poſſet, actor Praetoris auxilium implorabat, qui audita & cognita cauſſa reum euocari ad ſui defenſionem iubebat. Fiebant autem euoca- 35
tiones nonnunquam ſolis denunciationibus, interdum litteris, interdum edictis. Nam ſi is, a quo petebatur, in vrbe eſſet, & e publico conſpiceretur, creditoris tamen, ſeu actoris conſpectum fugeret, per denunciationem in domum ſolemni vicinorum teſtatione euocabatur, quae denunciatio idcirco *deteſtatio* dicitur in *L.* 40. *ff. de V. S.* Quod ſi in vrbe non eſſet reus, ſed in alio loco fruſtrationis cauſſa latitaret, litteras a Praetore ad Magiſtratum loci impetrare ſolebat actor, vt is moneret eum, vt ſtato die ad ſui defenſionem veniret. *L.* 1. §. 4. *ff. de requir. vel abſent. Damn.* cui conueniens eſt, quod ait Cic. 3. *Verr. cap.* 10.

D 2 *Ver-*

Verres ſimul ac tetigit prouinciam, ſtatim Meſſanam literas dedit; Dionem euocauit, calumniatores ex ſinu ſuo appoſuit, qui illam hereditatem Veneri Erycinae com-
36 *miſſam eſſe dicerent.* Si vero nec literis nec denunciationibus latitans euocari poſſet, iuſſu & auctoritate Praetoris edictum ſeu libellum ad ipſas latitantis aedes ſolemni vicinorum aliorumque proborum ciuium teſtatione actor proponebat, quo latitantem in ius vocabat, vt ita admonitus defenſor ſui exiſteret, *L.* 4. *§.* 6. *ff. de Damn. infect. L.* 22. *§.* 2. *ff. quod vi aut clam.* Atque inde intelligi poteſt, quod Vlpianus ſcribit in
37 in *L.* 25. *de L. Corn. de falſ. Qui nomine Praetoris litteras falſas reddidiſſe, edictumue falſum propoſuiſſe dicetur, ex cauſſa actione in factum pœnali tenetur, quamquam L. Corneliae reus ſit.* De huiusmodi enim litteris & edictis Vlpianum ſenſiſſe, ex eius reſponſi epigraphe manifeſtum eſt, *Vlpianus lib.* 7. *ad Edictum.* Nam libro quinto, ſexto & ſeptimo ad edictum, de iudiciis, iisque omnibus, quae ad iudicia priuata pertinebant, egerat Vlpianus. Raeuard. *Protribunal. cap.* 3.
38 Affixis itaque primis tabulis, ſi latitans ad ſui defenſionem non veniſſet, Praetor poſt interuallum decem dierum, alterum edictum decernebat *L.* 69. *ff. de*
39 *iudic.* & tandem tertium *L.* 70. *ff. eod.* quibus propoſitis actor *peremtorium* impetrabat, inde dictum, quod perimebat diſceptationem, hoc eſt, non vltra patebatur
40 tur aduerſarium tergiuerſari, *cit. L.* 70. Nonnunquam autem hoc edictum poſt vnum vel alterum, nonnunquam ſtatim dabatur, quod appellari ſolebat *vnum pro omnibus*, cuius verba fuere, *ſi die ſcripto non veneris, quaſi contumax condemnaberis.* Raeuard. *Protribun. cap.* 3. Broidaeus *in Coroll. ad Pollet. Hiſt. For.*

R. lib.

Digitized by Google

R. lib. 5. *c.* 3. Vbi vero edicti peremtorii dies venerat, 41
nec ſe ſiſteret reus, actor eius contumaciam accuſabat, de quo vbi Praetori conſtitit, in bona iri iubebat actorem, cuius decreti praetorii verba conſeruauit Vlpianus *in L.* 7. §. 1. *ff. quib. ex cauſſ. in poſſ. eat. Qui fraudationis cauſſa latitauerit, ſi boni viri arbitratu non defendetur, eius bona poſſideri vendique iubebo.* Venditio ta- 42
men protinus non fiebat, ſed poſtquam certo tempore poſſeſſa eſſent bona, quod XXX dies fuiſſe, putant Reuard. *Protribunal. cap.* 3. Hotoman. *ad L.* 13. §. 1. *C. de Iudic.* Scip. Gentil. 1. *de Iurisdict. c.* 24. moti loco Cic. *pro Quinct. cap.* 8. Aliorum ſententias vide apud Menoch. *de Arbitrar. Iud. caſ.* 6, qui tandem arbitrio iudicis id committi debere concludit. Si igitur 43
durante hoc tempore nemo ſatis dediſſet, (nam oblata ſatisdatione, poſſeſſio deſinebat, Hotoman. *in Cic. Or. pro Quinct. pag.* 17.) creditores iterum Praetorem adibant, petebantque, ſi plures eſſent, vt ſibi vnum ex corpore conſtituere liceret, qui debitoris bona auctioni ſubiiceret, & hic conſtitutus *Magiſter* dicebat *L. vlt. ff. de Cur. bon. dand.* Theophil. *in tit. de Succeſſ. bonor.* Briſſon. *lib.* 6. *Miſcell. Epiphill. c.* 1, quo facto in 44
celeberrimis vrbis locis tabulae figebantur, cunctisque debitoris bonis ſuſpendebantur libelli, quibus omnes creditores admonebantur, vt certo die ad auctionem adeſſent, Cic. *pro Quinct. cap.* 6. Raeuard. *Protribun. cap.* 3. *circ. fin.* Turneb. *lib.* 12. *Aduerſ. cap.* 19. Hotoman. *in Cic. Or. pro Quinct. cit. loc.* Iac. Nicol. Loenſis *cit. loc.* Appropinquante die auctioni deſtinato, Prae- 45
tor ad nouam creditorum inſtantiam, auctionem permittebat, *L.* 9. *C. de Bon. auctor. Iud. poſſ.* quae haſta in foro poſita, ſolemni ritu peragebatur. Huic praeco 46
adſta-

Digitized by Google

adſtabat, vt pretium actionemque proclamaret, & emtores obſeruaret, qui ſublato digito ſe profitebantur.
47 *Franc.* Modius *Lect. Nouantiq. epiſt.* 105. Diſtractis autem bonis & aere alieno perſoluto, quid cum eo, quod ſupererat, factum, (nam miſſio in vniuerſa bona fiebat) nusquam diſerte ſcriptum memini. Putat tamen Hotoman. *in Cic. Or. pro Quinct. p.* 45, ei, qui bonorum poſſeſſionem poſtulaſſet, quaecunque reliqua fuerint,
48 addicta fuiſſe, ita tamen, vt qui poſtea creditores alii reperirentur, confugere nominum ſuorum cauſſa, ad ipſum potuiſſent, quod ex cit. Cic. Orat. pro Quinct. colligit. Conf. Cuiac. *ad Nou.* 53. *p.* 3. *pag.* 595. Caſp. Schiffordegher *lib.* 1. *ad Ant. Fabr. tract.* 7. *quaeſt.* 1.
49 Diſſent. Hillig. *in Donell. lib.* 23. *c.* 14. *litt. A.* Illud adhuc notandum, Dd. vulgo duo decreta agnoſcere, quibus Praetor bona latitantis poſſideri vendique iuſſerit, & poſt miſſionem ex primo decreto, perſeuerante in contumacia reo, interpoſitum fuiſſe ſecundum decretum, atque ſic denique ad diſtractionem bonorum peruentum eſſe. Raeuard. *Protribun. c.* 3. *circ. fin.* Coras. *ad L.* 15. §. 16. *ff. de Damn. inf.* Gœdd. *de Sequeſtr. c.* 2. *n.* 14. Menoch. *Arbitr. Iud. caſ.* 6. Scaccia 1. *de Iudic.* 96. Scip. Gentil. 1. *Iuriſd.* 24. Sed vti nullibi in iu-
50 re mentio ſecundi decreti, praeterquam in cauſſa damni infecti *L.* 15. §. 16. *ff. de Damn. infect.* ita nec in aliis cauſſis interponi ſolitum verius eſt, ſed ex vno eodemque praetorio edicto *L.* 7. §. 1. *ff. quib. ex cauſſ. in poſſ. eat.* & bona poſſeſſa & vendita fuiſſe. Caſp. Schiffordegher *ad A. Fabr. lib.* 1. *Tract.* 7. Hillig. *ad Donell. lib.* 23. *c.* 13. *litt. A.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT IV.
DE IIS, QVAE IN IVRE FIEBANT.

SVMMARIA.

1. Praetor litigantes in Comitio citari iubebat.
2. *Occurrere ad vadimonium & ſiſtere* quid?
3. Reus actorem prouocabat.
4. Cui actor replicabat agendo cauſſam.
5. Actori contradicebat reus.
6. Inaudita cauſſa Praetor actionem non dabat.
7. Actiones formulis incluſae.
8. Vindicatio vbi inſtituta.
9. Vindicatio quotuplex?
10. *Poſſeſſionis* vindicatio quando inſtituta?
11. 12. 13. Quomodo inſtituta ſi res mobilis?
14. Actio ad exhibendum.
15. Si res immobilis quomodo inſtituta vindicatio?
16. Manuum conſertionis originem a Germanis deducit Hotoman.
17. 18. 19. Mutata ſolemnia vindicationum.
20. Imaginaria profectio, cur introducta.
21. Improbatur a Cicerone.
22. *Proprietatis* vindicatio, quomodo inſtituta?
23. Solida cautio, quae?
24. Poſſeſſor quomodo ſatisdaret?
25. Sponſionum ratio.
26. Earum formula.
27. Sacramentum quid?
28. Quomodo a ſponſione differat.
29. Reus reſtipulare debebat.
30. Iudicium quando poſtulatum?
31. In perſonali actione interrogationibus actor vſus.
32. 33. 34. Quae perquam neceſſariae apud Romanos.
35. In quibus cauſſis potiſſimum obtinuerint.
36. Formula interrogationum.
37. Actio interrogatoria, quae?
38. Mentiri & falſum dicere, quomodo differant?
39. 40. Quid ſi taceret interrogatus?
41. Iudicem quando poſtularint litigantes?
42. Iudici Praetor in verba litis formulam componebat.
43. Cui & rei exceptio inſerebatur.
44. Exceptio cur *conditio* dicta in L. 22. ff. de except.
45. Cur *praeſcriptio* in L. 91. ff. de ſolut. &c.
46. Satisdationes quotuplices?
47. Reus in actione reali ſatisdabat.
48. Non autem actor.
49. In perſonali, neuter.
50. Niſi per Procuratores agerent.
51. Lis quomodo conteſtata?
52. Litis conteſtatio, vnde dicta.
53. Communis Pragmaticorum error notatus.
54. Explicatur §. 35. Inſt. de Act.
55. Eremodicium committere, quid?
56. 57. Quomodo a deſertione vadimonii differat?
58. 59. Vadimonii deſertio, quae?
60. Deſerens, quibus caſibus excuſaretur?
61. Dies diffiſus, qui?

Peren

Digitized by Google

1 Perendino igitur die, in quem plerumque vadimonium promitti ſolebat, Praetor, quum ſummo mane in Comitium veniſſet, litigatores per accenſum viua voce citari iubebat, vt praeſentes ſint, nec ne, appareret. *L.* 7. *pr. ff. de in integr. reſt. L.* 10. *ff. de Publ. act.* Aſcon. Ped. 3. *Verr.* Add. Illuſtr. Stryk. *diſſ.* 3. *de Iur. Senſ. c.* 5. *n.* 8. Raeuard. *Protribun. c.* 2. Dion. Gothofr.
2 *ad Nou.* 112. *c.* 3. *litt. q.* Quod ſi vterque litigatorum praeſens eſſet, actor *occurrere ad vadimonium*, reus *ſiſtere* aut *obire* dicebatur. Sueton. *Calig. c.* 39. Plin. *lib.*
3 8. *epiſt.* 12. Gell. *lib.* 2. *c.* 14. Reus tamen prius ita agebat: *Vbi tu es, qui me vadatus es? vbi tu es, qui me citaſti? ecce ego me tibi ſiſto, tu contra, & te mihi ſiſte.*
4 Plaut. *Curcull. act.* 1. *ſc.* 3. *v.* 5. Procedente vero actore, rogabat reus: *Quid ais?* cui reſpondebat actor, ſi perſonali actione conueniret reum: *Aio, te mihi dare vel facere oportere &c.* ſi reali abſoluta: *Aio*, e. g. *fundum, quem poſſides, meum eſſe*, ſeu prout natura actionis poſtulabat, quam ille intendere volebat. §. 1. *Inſt.*
5 *de Action.* Sigon. *lib.* 1. *de Iudic. c.* 21. Reus vero vel negabat intentionem actoris, vel ſi confiteretur, exceptione ſe defendebat, qua mutua contentione cognoſcebat Praetor, an iudicem arbitrumue dare, an cauſſam ad centumuiralis iudicii cognitionem ſeruare deberet: vtrum leges permitterent actionem, an pro-
6 hiberent. Nunquam enim inaudita cauſſa actionem decernere ſolebat, quo pertinent verba in noſtris Pandectis vbiuis obuia: *cognita cauſſa actionem dare, co-*
7 *gnita cauſſa actionem denegare.* Singulae autem actionum intentiones propriis formulis, vt iam diximus, incluſae erant, quas in ſingulis, cuius modi fuerint, enarrare longum foret: ſufficiet vnicum exemplum adduxiſſe,

xiſſe, quid in vindicatione obtinuerit, & quemadmo-
dum haec inſtituta. Omnis autem olim vindicatio 8
ex LL. XII. tabb. apud Praetorem fiebat, in re at-
que loco praeſenti. Alia tamen *poſſeſſionis* erat, alia 9
dominii. Poſſeſſionis vindicatio proprie *vindiciae* 10
dicitur, & inſtituebatur, quando incertum eſſet,
vter litigantium, proprietatis lite pendente, rem
controuerſam poſſidere deberet. Aſcon. Ped. 3.
Verr. pag. 100. Si res mobilis vindicanda, v. g. ſeruus, 11
vindicatio in hunc modum facta eſt: Qui ſerui poſſeſſio-
nem petebat, eum iniecta manu, quaſi vim quandam ad-
hibendo, vindicabat, & roganti reo: *quid ais?* reſpon-
debat: *hunc hominem ex iure Quiritum meum eſſe aio,*
eiusdemque vindicias mihi dari poſtulo, quod ex Liu.
lib. 3. *cap.* 44. colligimus. Vid. Briſſon. *lib.* 5. *Formul.*
pag. 474. Si alter taceret, aut cederet, Praetor ſeruum 12
addicebat vindicanti, vsque ad exitum iudicii de domi-
nio inſtituendi. Sin autem ille contra vindicaret, & 13
eundem ſeruum manu prehendens reſponderet: *&*
ego hunc hominem meum eſſe aio, eiusque vindicias mi-
hi conſeruari poſtulo: tum Praetor cognita cauſſa poſ-
ſeſſionem illi, qui nec vi, nec clam, nec precario poſſi-
debat, ſeruum addixit, quamuis ſi de rebus mobilibus
controuerteretur, illae ſaepius apud ſequeſtrem, aut in
aede ſacra deponebantur, vt ex innumeris Prudentum
reſponſis conſtat. Conf. Raeuard. *ad LL. XII tabb. c.*
6. *extr.* Si vero rem, de qua litigabatur, reus occulta- 14
ret, actor ad exhibendum agebat, vt exhibita vindica-
ri poſſit. *L.* 3. §. 3. *ff. ad Exhibend.* Quod ſi vero res 15
immobilis peteretur, tunc Praetor vna cum litigatori-
bus in fundum controuerſum ex iure proficiſcebatur,

Digitized by Google

ibique facta manuum conſertione, quem ſuum fundum eſſe actor contendebat, eundem contra vindicabat reus, eamque vim, quae per eiusmodi manuum conſertionem fiebat, non bellicam aut manu factam fuiſſe, Gell. *lib.* 20. *cap.* 10. teſtatur, cuius modus tamen
16 in antiquioribus litteris non declaratur. Hunc ritum Hotoman. *lib.* 3. *Obſeru.* 15. originem traxiſſe putat, ex veterum Germanorum inſtitutis, qui lites plerasque certamine ſingulari diremerunt, a quibus Latium forte aliquando ante Romam conditam occupatum fuerit,
17 cuius tamen rei fides penes auctorem eſt. Cæterum *poſtquam praetores* (verba Gellii ſunt cit. lib. 20. cap. 10.) *propagatis Italiae finibus, datis iurisdictionibus negotiis occupati, proficiſci vindiciarum cauſſa in longinquas res grauabantur, inſtitutum eſt contra XII tabb. tacito conſenſu, vt litigantes non in iure apud Praetorem manum conſererent*, h. e. vna cum Praetore manus conſerendae gratia ex iure, ſiue loco illo, in quo ius reddebatur, in locum controuerſum proficiſcerentur, *ſed ex iure manum conſertum vocarent, id eſt, alter alterum ad conſerendum manum in rem, de qua ageretur, vocaret, atque profecti ſimul in agrum, de quo litigabatur, terrae aliquid ex eo, vti vnam glebam, in ius in vrbem ad Praetorem deferrent, & in ea gleba, tanquam in toto, agrum vindicarent.* Et in hanc ſententiam dixit Feſtus ex Cincio: *Vindiciae olim dicebantur, quae ex fundo ſumtae, in ius adlatae erant*, vid.
18 *Franc.* Balduin. *ad LL. XII. tabb. cap.* 45. His autem vindiciis in ius adlatis actor, qui deiectus erat, eas ma-
19 nu tenens poſſeſſionem petebat. Sed quemadmodum Praetores negotiis variis occupati, dicendarum vindiciarum cauſſa proficiſci grauabantur, ita litigan-

tes

Digitized by Google

tes quoque manus conſerendae gratia tandem in agros proficiſci & inde glebas in ius deferre deſierunt. Ne tamen priſci iudiciorum ordinis ſolemnitas abole- 20
retur, inſtituta & ſurrogata a Pontificibus, in verae profectionis locum imaginaria quaedam profectio, qua litigantes certam inire viam, eamque redire debebant, quod nimium exagitat Cic. *pro Muren. cap.* II. *extr.* vbi: *Itaque irati illi*, inquit, de ICtis autem loquitur, 21
quod ſint veriti, ne dierum ratione peruulgata & cognita, ſine ſua opera lege poſſet agi, notas quasdam compoſuerunt, vt omnibus in rebus ipſi intereſſent. Cum hoc fieri belliſſime poſſet: FVNDVS SABINVS MEVS EST: IMMO MEVS; *deinde iudicium, noluerunt.* FVNDVS, *inquit*, QVI EST IN AGRO, QVI SABINVS VOCATVR, *ſatis verboſe, cedo quid poſtea?* EVM EGO EX IVRE QVIRITVM MEVM ESSE AIO. *Quid tum?* INDE EGO TE EX IVRE MANV CONSERTVM VOCO. *Quid huic tam loquaciter litigioſo reſponderet, ille vnde petebatur, non habebat. Tranſiit idem ICtus, tibicinis Latini modo*: VNDE TV ME, *inquit*, EX IVRE MANV CONSERTVM VOCASTI, INDE IBI EGO TE REVOCO. *Praetor interea, ne pulchrum ſe ac beatum putaret, atque aliquid ipſe ſua ſponte loqueretur, ei quoque carmen compoſitum eſt, cum caeteris rebus abſurdum, tum vero in illo*: SVIS VTRISQVE SVPERSTITIBVS, PRAESENTIBVS, ISTAM VIAM DICO, INITE VIAM. *Praeſto erat ſapiens ille, qui inire viam doceret*, REDITE VIAM, *eodem duce redibant. Haec iamdum apud iſtos barbatos ridicula, credo, videbantur, homines, quum recte atque in loco conſtitiſſent, iubere abire, & vnde abiiſſent, vt eodem ſtatim redirent.*

Digitized by Google

22 Caeterum ſi nulla eſſet poſſeſſionis controuerſia, ſed de dominio tantum ageretur, ſolis ſacramentis, nulla vindiciarum quaeſtione facta, ſic contendebatur, vt is interim, penes quem rei controuerſae poſſeſſio eſſet, idonee ſatisdaret, ſe nihil in poſſeſſione deterius facturum: Aſcon. Ped. 3. *Verr. pag.* 100, quam ſatisdationem, ſi recuſaret poſſeſſor, poſſeſſio in petitorem transferebatur, ſi hic ad illam ſe offerret: quod ſi nec petitor ſatisdare vellet, penes poſſeſſorem poſſeſſio manebat, quum in pari cauſſa potior ſit poſſeſſor. Paull. *lib.* 1. *Sent. tit.* 11. *L.* 6. §. 6. *ff. de Carbon. Edict.*
23 Et haec eſt, quae *ſolida cautio* dicitur in *L.* 5. *pr. ff. de hered. petit.* de qua etiam in *L.* 15. §. 2. *ff. de quaeſtion.*
24 Fiebat autem ſatisdatio per praedes, quos Aſcon. Ped. *cit. loc. fideiuſſores locupletes* interpretatur, *pro re, de qua apud iudicem lis eſt, ne interea, qui tenet, diffidens*
25 *cauſſae, poſſeſſionem deteriorem faciat.* Accepta ſatisdatione actor reum ſponſione prouocabat, Aſcon. *c. l.* cuius faciendae ratio eiusmodi fuit. Petitor, vbi aduerſarium ſibi contradicere audiebat, ſponſione ſacramenti eum prouocauit: *Ni ita eſſet*, cuius formulae, quae ſolemnis in ſponſionibus erat, plurima exempla
26 exhibet Briſſon. *lib.* 5. *de Form. pag.* 369. Ipſam autem ſponſionem ita concipiebat actor: *Quando negas, hunc ſeruum meum eſſe, ſacramento te quinquagenario prouoco. Spondesne quingentos, ſi meus ſit?* cui aduerſa-
27 rius: *Spondeo, ſi tuus ſit.* Valer. Prob. *in Not. Rom.* Sacramentum autem Romani, teſte Varr. *Lib.* 4. *de Ling. Lat.* certum aſſium numerum dicebant, qui apud Pontificem, hoc eſt, in aede ſacra, hac intentione deponebatur, vt is, qui vicerat, ſuum depoſitum ex loco ſacro auferret, victi ad aerarium rediret. Con. Raeuard.

Digitized by Google

uard. *lib.* 5. *Varior. cap.* 10. Atque in hoc differebat a 28
ſimplici ſponſione, in qua litigantes interueniente ſti-
pulatione ſibi inuicem tantum promittebant certam
pecuniae ſummam, quam victor a victo eodem iudi-
cio exigere ſolebat. Cic. *pro Quinct. cap.* 8, ibique Ho-
toman. *pag.* 20. Broidaeus *in Suppl. ad Pollet. Hiſt. For.
R. lib.* 5. *cap.* 5. *pag.* 436. Prouocatus igitur tali ſacra- 29
mento ſolemnibus verbis reſtipulari ſolebat: *Et tu
ſpondesne quingentos, ni tuus ſit?* cui actor reſponde-
bat: *Spondeo, ni meus ſit.* Vid. Liv. *lib.* 39. *cap.* 43. Va-
ler. Max. *lib.* 2. *cap.* Hotoman. *in Cic. Or. pro Quinct.
pag.* 19. Atque hoc niſi faceret actor, litem amittebat.
Tandem iudicium poſtulabant, de cuius conſtitutio- 30
ne antequam agamus, quid in aliis actionibus ſingula-
re obtinuit, paucis explicabimus.

In perſonalibus actionibus ſingulare fuit, quod 31
actori interrogationibus vti licuerit, ex quibus actio in-
terroganti naſcebatur, ſiue reſpondiſſet interrogatus,
ſiue tacuiſſet, illic ex verbis, hic propter contumaci-
am. *L.* 11. *ff. de Interrog. in Iur. fac.* Et hae apud Ro- 32
manos ideo neceſſariae erant, quod ille, qui intentione
ſua plus complexus eſſet, hoc eſt, vel re, vel loco,
tempore aut cauſſa plus petiiſſet, cauſſa caderet. §. 33.
I. de Action. Paull. *lib.* 1. *Sentent. tit.* 10. Nam ſi quis 33
petiiſſet a Praetore actionem ex mutuo pro centum,
formulam Praetor ita concipiebat: *Si paret, Titium de-
bere centum, Iudex condemna.* Quod ſi igitur in iudi- 34
cio Iudici Titius approbaſſet, ſe non 100, ſed 60 de-
bere, Iudex Titium abſoluere tenebatur, quum nec lit-
teram in praeſcripta formula mutare poſſet. Titius
vero, ſi denuo conueniebatur, exceptione rei iudica-
tae ſe defendebat. Fiebant autem interrogationes vt 35

Digitized by Google

plurimum in actionibus noxalibus & condictionibus
36 certis intentandis, vt ex *tot. tit. ff. de Interrog. in Iur.*
fac. apparet, quarum formula haec fuiſſe videtur,
quando te in iure conſpicio, poſtulo anne ſies auctor, hoc
eſt, anne ſis ille, a quo ius meum perſequi debeam:
ſiue, *quota ex parte ſies auctor.* Valer. *Prob. in Not.*
Rom. Hotoman. 7. *Obſ.* 15. quod clarius & plenius pro-
fert Raeuard. *Protribun. c.* 5: *Aio ex L. Titii hereditate*
mihi centum debere, quando te in iure conſpicio, poſtulo
anne ſies auctor: quanquam hunc interrogandi modum
Polletus *lib.* 5. *Hiſt. For. R. cap.* 4. *p.* 431. ad eum au-
ctorem referendum putet, quem Guarandum voca-
mus, qui de euictione tenetur, & nullo vadimonio ob-
ſtrictus in iure reperiebatur, quod ex prioribus ver-
37 bis elicit, *quando te in iure conſpicio.* Ex interrogati
autem reſponſione actio interrogatoria competebat,
quae & *confeſſoria* dicitur *L.* 25. *§.* 1. *ff. L. Aquil.* qua
ex ſua reſponſione conueniebatur interrogatus, *L.* 4.
12. 13. *& vlt. ff. h. t.* licet mentitus fuerat, *L.* 11. *§.* 10.
eod. niſi ex iuſto errore ſe falſum dixiſſe probaret.
38 Mentiri autem, & falſum dicere, quomodo differant,
vid. Hieron. de Caeuallos *Spec. Comm. Opin. q.* 128. *v.*
39 5. B. Brunnemann. *ad cit. L.* 11. *n.* 20. Quod ſi interro-
gatus plane tacuiſſet, inſtituta actione, ac ſi negaſſet,
in ſolidum poterat conueniri, quum Praetorem con-
temnere videbatur, *L.* 11. *§.* 4. *dict. tit.* quae ſingula la-
tiſſime proſequutus eſt *Iac.* Raeuard. *Protrib. cap.* 5.
40 Propoſita igitur actionis intentione, litigatores pro
natura actionis iudicem arbitrumue petebant, quibus
Praetor eum dare ſolebat, in quem vtraque pars con-
41 ſenſerat, cui in verba litis ius componebat, vt ſecun-
dum illud praeſentem controuerſiam definiret. Rae-
uard.

Digitized by Google

uard. *lib.* 1. *Praeiudic. c.* 5. In hoc autem iure compo- 42
nendo non tantum actoris intentioni rationem habebat Praetor, ſed rei quoque admittebat exceptionem, actorisque nonnunquam replicationem, *L.* 7. *ff. de Cur. Fur. dat. L.* 30. *ff. de Pact. Dot.* vnde ſaepius non pure, ſed addita exceptione actionem dabat, v. g. *ſi paret, Titium Caio centum mutuo dediſſe, niſi quid pactum ſit, ne Titius a Caio peteret, iudex condemna.* Et inde 43
Paullus in *L.* 22. *ff. de Except.* exceptionem *conditionem* interpretatur, *quae modo eximit reum damnatione, modo minuit damnationem*, quod ratione formulae iudici pedaneo praeſcriptae intelligendum, cui eam Praetor per modum conditionis inſerere ſolebat. Hoc vero in actionibus ſtricti Iuris neceſſario fieri debuit, quum alias Iudex nullam habere poterat exceptionum rationem. Hotom. *lib.* 8. *Obſeru.* 3. Reus autem excipi- 44
ens praeſcribere actori dicitur in *L.* 34. §. 3. *ff. de Leg.* 2, quemadmodum ſcil. intentionem concipere aut actionem ſibi dari poſtulare debuerit, atque inde Exceptio *praeſcriptio* appellatur *L.* 91. *ff. de ſolut. L.* 9. *ff. de Tranſact.* & tit. in ff. *de Exceptionibus & Praeſcriptionibus*, & in Codice: *de Exceptionibus ſeu Praeſcriptionibus*: Vid. Donell. *lib.* 22. *c.* 1. *circ. fin.* ibique Hillig. Aliter Mynſing. *ad rubr. Inſt. h. t. n.* 6.

Compoſito itaque in litis verba iure & iudicio 45
accepto, ſatisdationes praeſtabantur, vel ab ipſis litigatoribus, vel ab eorum Procuratoribus. Fuerunt au- 46
tem ſatisdationes duae, iudicatum ſolui & rem ratam haberi, quarum altera ab reo, altera a procuratoribus fieri debebat. Olim enim reus conuentus actione re- 47
ali, ſatisdabat iudicatum ſolui, *pr. I. de Satisd. L.* 8. *ff. Iudic. ſolu. L. pen. ff. de Dol.* quae ſatisdatio tres clau-

ſulas

clauſulas habere dicitur *L. 6. ff. Iud. ſolu.* de ſoluendo iudicato, de re defendenda, hoc eſt, de non deſerendo iudicio, & de dolo malo: a prima tamen, tanquam po-
48 tiſſima, dicta eſt iudicatum ſolui. Actor vero, ſi proprio nomine agebat, a ſatisdatione immunis fuit, non autem ſi alieno nomine, vbi rem ratam dominum habiturum ſatisdare tenebatur, ob periculum, ne dominus aliquando iterum de ea re experiretur *pr. Inſt.*
49 *de Satisd. l. 1. ff. rem rat. hab.* Sin vero perſonali actione conueniebatur reus, ex parte actoris eadem obſeruabantur, quae in iudicio reali *cit. l. 1.* reus tamen, ſi proprio nomine iudicium ſubibat, ad ſatisdationem non adſtringebatur, quum hic tantum periculum non ſubeſſet, quantum in iudicio reali, vbi poſſeſſor re ex-
50 ſtincta liberabatur: ſi vero per procuratorem ſe defenderet, hic non tantum de rato, ſed etiam de iudicato ſoluendo ſatisdare debebat *L. 21. ff. rem. rat. hab.* quia nemo in re aliena abſque ſatisdatione idoneus defenſor habetur. *L. 46. §. 2. ff. de Procurat. L. 166. ff. de R. I.* Cuiac. *lib. 8. Obſeru.* 26. Bachou. *ad §. 1. Inſt. de Satisdat.*

51 Tandem vero his omnibus peractis in perendinum diem, vt in iudicium, ſeu ad datum iudicem venirent, ſibi litigatores inuicem denunciabant, Aſcon. Ped. 3. *Verr. pag.* 76, atque ita a Praetore decedentes, eos, qui tribunal adſiſtebant, illius rei, quae in iure & apud Praetorem acta, teſtes inuocabant his ſolemnibus verbis: *Teſtes eſtote*; quo ipſo lis conteſtata dicebatur.
52 Pomp. Feſtus *in verb. conteſtari.* Conteſtari enim eſt teſtibus adhibitis aliquid declarare & profiteri, & litis conteſtatio ipſe atteſtandi actus, litem motam eſſe. Conf. Hotoman. *lib. 4. obſeru. 5.* Raeuard. *Protribun.* *cap.*

Digitized by Google

cap. 11. Cuiac. 9. *Obſ.* 21. P. Faber 2. *Semeſtr.* 24. Donell.
lib. 24. *cap.* 1. Obrecht. *de Litis conteſtat. c.* 5. *n.* 3. Pol-
letus tamen *lib.* 4. *Hiſt. For. R. cap.* 8, inde litem con-
teſtatam dici cenſet, quod poſt iudicium acceptum ſit
perpetua. Aliter *Io. Yanez* Parlodor. *lib.* 1. *Rer. Quo-* 53
tid. cap. 14. Haec autem litis conteſtatio vltimus actus
erat, qui in iure fiebat, longeque errant illi, qui litis
conteſtationem *angularem lapidem* iudicii eſſe volunt,
ex quo communis Pragmaticorum error venit, qui ea,
quae antiquitus coram Praetore geſta ſunt, ad illa ad-
plicant, quae hodie in iudiciis noſtris ante litem conte-
ſtatam fiunt, & quae coram iudice pedaneo ſunt pera-
cta, ad ea, quae a litis conteſtatione ad finem iudicii
peraguntur. Quibus tamen bene ſeparatis nec dubi- 54
um ſupereſſe poteſt, de mente Imp. §. 35. *Inſt. de act.*
dum libelli mutationem eodem iudicio fieri permiſit,
illum etiam poſt litem conteſtatam fieri poſſe voluiſſe,
quum iudicium olim poſt litem conteſtatam a proba-
tionibus demum inciperet, quamuis communiter Dd.
contrarium adſerant.

Et haec, ſi vterque & actor & reus in iure com- 55
parerent. Quod ſi reus ſe ſiſteret, actor vero non oc-
curreret vadimonio, hic cauſſa cadebat, *& eremodici-
um committere* dicebatur, cuius vocabuli etymologiam
vide apud *Briſſon. de Verb. Sign.* Eremodicium vero 56
in eo differebat a deſertione vadimonii, quod illo lis,
hoc vero vadimonium ſolum deſerebatur: illius eſſet
reſtitutio, huius nulla: illud actor non ſolum, ſed & re-
us, ſi ſcil. & hic litem deſereret, committebat, vadi-
monium vero reus tantum deſerebat. Broidaeus *in* 57
Coroll. ad Pollet. Hiſt. F. R. lib. 5. *c.* 3. *p.* 422. Dn. Lyn-
cker. *Protribun. pag.* 37. Neque enim verum eſſe vide-

tur, ſolos actores in eremodicium incidiſſe, quod *Ant.*
Gouean. *lib.* 1. *Lect. Iur. Var. cap.* 39. defendit, quum
ex *L.* 11. *&* 13. *ff. iudic. ſolu.* appareat, reum etiam li-
58 tem deſerere poſſe, quod ſonat eremodicium. Vadi-
monii ergo deſertione reus cauſſa non cadebat, ſed a-
ctori aduerſus vades ſeu fideiuſſores competebat actio
ad pœnam, ſi qua in promiſſione vadimonii per ſtipu-
lationem adiecta fuerat. Broidaeus *cit. loc. pag.* 421.
Raeuard. *Protribun. cap.* 9, quam praeſtare cogebantur,
ſiue tanti actoris reuera, ſiue pluris, minoriſue inter-
fuit. Iaſon. *ad L.* 2. *§. vlt. qui ſatisd. cog. n.* 4. quod ſi
nulla poena adiecta, tenebantur ad id, quod reuera
59 intererat. *L. fin. ff. ſi quis in ius voc.* Imo actore ita
poſtulante, Praetor rei bona poſſideri iubebat, & ſi tri-
ginta dies poſſeſſa eſſent, vendi, cuius rei exemplum
vid. apud Cic. *in Orat. pro Quint.* vbi Praetor bona
Quinctii ex edicto poſſideri iuſſerat, quod vadimoni-
60 um Quinctius miſſum feciſſe arguebatur. Deſeren-
tem tamen vadimonium vim maiorem excuſaſſe, ait
Seneca *lib.* 4. *de Benef. cap.* 39. *extr.* quaeuis de quali-
bet neceſſaria abſentiae cauſa intelligenda, maxime de
morbo ſontico, *Iac. Nicol.* Loenſis *Lib.* 9. *Miſcell. E-*
piphill. cap. 1. *pag.* 631. & non ſolum de proprio, ſed
etiam vxoris aut liberorum. *Ian.* Langlaeus *lib.* 1. *Se-*
meſtr. c. 2. *p.* 18. *ſeqq.* Sonticus autem morbus appel-
latur, qui cuiusque rei agendae impedimento eſt, *L.* 60.
61 *ff. de Re Iud.* Petenda tamen prius a Praetore dilatio
vadimonii, Plin. *l.* 1. *epiſt.* 18. qua impetrata, *dies diffi-*
ſus dicebatur. Cuiac. *lib.* 12. *obſ.* 18. Ang. Politian. *Ob-*
ſeru. & Emend. cap. 41. Pollet. *Hiſt. F. R. lib.* 4.
cap. 15.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT V.

DE IIS, QVAE IN IVDICIO FIEBANT.

SVMMARIA.

1. Ius & Iudicium differunt.
2. Alia in Iure, alia in Iudicio fiebant.
3. Iudicis officium.
4. Iudicium quando coeperit?
5. Iudex partes cauſſam agere iubebat.
6. 7. 8. Cauſſa dupliciter dicta.
9. Probatio, quot modis facta?
10. In quo Oratorum artificium?
11. Teſtari, qui potuerint?
12. Modus teſtandi, quis?
13. Teſtis prouocatus ex ſubſelliis ſurgebat.
14. Teſtes non iudex, ſed partes interrogabant.
15. Producens teſtem, illum inſtruere poterat, quae dicere deberet.
16. 17. 18. Modus examinandi teſtes.
19. Formulae ſolemnes in examine, quae?
20. Iudex iuramento obſtringebat teſtes.
21. Artifices quomodo iurauerint?
22. 23. Abſentium teſtimonia.
24. Inſtrumenta quotuplicia?
25. Forma conficiendi inſtrumenta.
26. 27. 28. Obſignandi modus, qui?
29. Argumenta quotuplicia?
30. Neceſſaria quae?
31. Quae contingentia?
32. Poſt probationem in conſilium iuit Iudex.
33. Conſiliarii Iudicis, qui?
34. Iudex de conſilii ſententia pronunciauit.
35. 36. Inter plures Iudices cuius ſententia obtinuerit?
37. 38. Iudex ad ſententiam dicendam cogi poterat.
39. 40. Sententiae quomodo conceptae.
41. 42. 43. Formulae ſententiarum variae.
44. 45. Sententia certa non dubia eſſe debebat.
46. Sententia de tabula recitata.
47. Explicatur rubr. C. de ſent. e peric. recit.
48. Iudex ſedens ſententiam ferebat.
49. Eius ratio.
50. Publicata ſententia praeſentibus litigatoribus.
51. Iudex ſententiam mutare non poterat.
52. Quod ſemel officio ſuo functus erat.
53. Transgreſſio ad iuramenta.
54. Iuramentum vel pars vel iudex deferebat.
55. A parte delatum referri poteſt.
56. Iuramentum prout delatum.
57. 58. Iuramentum deferens praeſcribebat.
59. In dubio Iudex.
60. Iuramentum quomodo referendum?
61. Deferens de calumnia iurabat.
62. Non tamen parentes & patroni.
63. Iudex quando iuramentum deferat?
64. Neceſſarium, a quo introductum.

Digitized by Google

65. Deferebatur ob inopiam probationis.
66. In litem iurare actor quando poterit.
67. *Lis* quid ſignificet?
68. *Lis* quomodo aeſtimata.
69. Iuramentum *Adſectionis*, cur ita dictum.
70. Iuramentum *Veritatis*, quale.
71. Forma huius iuramenti, quae.

1 A Iure iudicium ſeparamus, ſequuti ICtos in *L. amplius* 15. *ff. rem rat. hab. L. pen. ff. de I. & I. L.* 1. *ff. ſi quis in ius voc. non ier.* tametſi non ignoremus, iudicium aliquando pro iure accipi. *L.* 28. *ff. de Adminiſtr. Tut. L.* 3. *ff. de ea, per quem fact. er. L.* 2. *§.* 2. *ff. qui*
2 *ſatisd. cog.* Cuiac. 1. *Obſ.* 10. Hotoman. 7. *Obſeru.* 5. Fiebant igitur quaedam in iure, ſeu apud Praetorem, quaedam in iudicio, ſeu apud iudicem. De illis prae-
3 cedenti capite actum, nunc de his, quae in iudiciis ſeu apud iudicem obſeruabantur. Iudicis autem officio poſt iudicium acceptum & litem conteſtatam, omnia incumbebant, quae in iudicium deducta. *L.*
4 25. *§.* 8. *ff. de Aedilit. Edict.* Vbi ergo dies acceſſit, quem ſibi inuicem denunciauerant litigantes, iudicium factum eſt, niſi aut iudex, aut alter litigatorum abſuiſſet, quo caſu, ſi cauſſa abſentiae morbus fuit, dies prolatus & diffiſus dicebatur, de quo iam
5 ſupra diximus. Quod ſi omnes praeſentes, iudex aduocatos narrare & cauſſam agere iubebat ſolemni verbo DIC: Martial. *l.* 6. *epigr.* 19, qui poſtea perorata cauſſa itidem dicere ſolebant DIXI. Donat. *in Terent.*
6 *Phorm. act.* 2. *ſc.* 3. *ad verb. Dixi Phormio.* Cauſſam vero duobus modis dixerunt, vno paucis, altero plu-
7 ribus verbis. Breuem expoſitionem appellarunt *cauſſae coniectionem*, Gell. *lib.* 5. *c.* 10. quod Aſcon. Ped. 3. *Verr. pag.* 76. interpretatur, quod idem ſit, ac *cauſſae in breue coactio*, & ita regulam, *quaſi cauſſae coniectionem* Sabinus appellauit *L.* 1. *ff. de R. I.* Conf. Duar.

Duar. *lib.* 1. *Diſpunct. c.* 36. Alciat. *lib.* 5. *Parerg. c.* 1.
Adr. Turneb. *lib.* 13. *Aduerſ. c.* 27. Longioris expo- 8
ſitionis exempla ſunt cauſſae a Cicerone defenſae, P.
Quinctii, Roſcii Comoedi, Caecinae &c. Cauſſa vero 9
acta ita eſt, vt teſtibus, tabulis ſeu litteris, & argu-
mentis ex ipſa re, de qua agebatur, depromtis, vtrin-
que certarent litigatores. Eius rei conficiendae ac 10
ſtatus excogitandi, atque eo probationes omnes con-
ferendi artificium in libris oratoriis eſt demonſtratum:
neque enim in aliis praeceptis antiqui Rhetores, tam
Graeci quam Latini, plus operae conſumſerunt. Aga-
mus autem primo de teſtibus, dein de tabulis, poſtre-
mo de argumentis. At quoniam non omnibus dice- 11
re teſtimonium licuit, propterea ante de teſtium con-
ditione dicendum foret, niſi hanc materiam ab aliis
ſaepius excuſſam videremus. Ne igitur, quod ab aliis
iam actum, cum taedio lectoris repetamus, in iis tan-
tum occupati erimus, quae circa modum teſtandi o-
lim obtinuerunt. In teſtimoniis dicendis antiquitus 12
ita obſeruatum legimus, vt qui teſtificarentur, non
ſe ſcire & pro certo compertum habere pronuncia-
rent, ſed adſertionem ſecuram ſuſpenderent, & *ſe ar-
bitrari* dicerent, etiam quod ipſi vidiſſent, quem mo-
dum teſtandi Cicero exponit *pro Fontei. cap.* 9. *Cre-
do*, inquit, *haec eadem Indutiomarum in teſtimonio ti-
muiſſe, aut cogitaſſe, qui primum illud verbum conſi-
deratiſſimum noſtrae conſuetudinis*, ARBITROR, *quo
nos etiam nunc vtimur, quum ea dicimus iurati, quae
comperta habemus, quae ipſi vidimus, ex toto teſtimo-
nio ſuo ſuſtulit, atque omnia ſe* SCIRE *dixit*, Conf.
Id. 4. *Acad. Quaeſt. cap.* 47. Hotomann. 10. *Obſeru.*
26. quem morem etiam ipſi iudices ſeruare ſolebant,

Digitized by Google

vt in ſententiis ea non eſſe facta, ſed *videri* pronunciarent, cuius rei exempla ſunt in *L.* 27. §. 2. *ff. de Liber. cauſſ. L.* 21. §. 1. *ff. de Recept. Arbitr.* Vid. Briſſon. *lib.* 2. *Antiq. Iur. Ciu. cap.* 2. Hotomann. *in Cic.* 4.
13 *Verr. pag.* 355. Teſtes autem in foro ſuum adſignatum ſubſellium habebant, Cic. *pro Roſc. Com. cap.* 13. *Pollet. lib.* 1. *Hiſt. For. R. cap.* 7. ex quo is, qui a praecone ad teſtimonium dicendum citabatur, ſurgebat, Sueton. *Claud. cap.* 15. quo ipſo ingens altercatio & dimicatio oriebatur, quum oratores velut duplici, contra eos, proque his, acie confligerent, vt Quin-
14 ctil. ait *lib.* 5. *cap.* 7. Teſtes enim, non vt hodie Iudex, ſed litigantes ipſi interrogabant, tam is, qui produxerat eos, quam ille, contra quem producebantur. Aſcon. Ped. 3. *Verr. pag.* 77. illisque non, niſi
15 interrogatis, loqui licebat. Id. *cit. l. pag.* 93. Caeterum qui teſtem producebat, quid dicturus eſſet, poterat, immo & moris fuit, vt, ne forte turbaretur, aut eum aduerſae partis patroni captioſis interrogationibus & inductionibus fallerent, multi domi ante cum eo verſarentur, & variis percontationibus, quales ab aduerſariis habere poterat, explorarent. Quinctil. *lib.*
16 5. *cap.* 7. Briſſon. *lib.* 5. *Form. pag.* 477. Solebant enim patroni aduerſae partis teſtes productos in iudicio ita percontari, vt longo circuitu alte repetitis interrogationibus diu ſuſpenderentur, atque ita inter illas ambages interdum reſponderent, quae nocere cauſſae non arbitrabantur, ex pluribus tamen, quae confeſſi erant, tandem eo perducerentur, vt quae dicere non
17 volebant, negare non poſſint. Et ita huiusmodi teſtes multa de ante actis, multa de inſecutis, loco, tempore, perſona, caeteris interrogabant, vt in aliquod reſpon-

Digitized by Google

reſponſum inciderent, poſt quod illis vel fateri, quae
volebant, neceſſe eſſet, vel iis, quae iam dixerant, re-
pugnare. Et in hoc Oratorum artificium elucebat. 18
Inſuper & in eo occupati erant, vt adfectus teſtium
noſcerent, quo, ſi timidus teſtis, ipſum terrere; ſi ſtul-
tus, decipere; ſi iracundus, concitare; ſi ambitioſus,
inflare poſſent: prudentem vero & conſtantem, vel
tanquam inimicum & peruicacem ſtatim dimittebant,
vel non interrogatione, ſed breui interloquutione pa-
troni refutabant, aut ſi quid in eius vita dici poterat,
infamia criminum deſtruebant. Vid. Quinctil. *lib.* 5. 19
cap. 7. In interrogandis autem teſtibus ſolemnia ver-
ba haec fuere: *te rogo*: *te quaero*: *volo*, *vti mihi re-
ſpondeas*, quae ſingula exemplis illuſtrat Briſſon. *lib.* 20
5. *Formul. pag.* 476. Iudex tamen ex officio teſtes
iureiurando obſtringebat, ne falſa dicerent, & vera
reticerent, Aſcon. Ped. 3. *Verr. pag.* 95. ſeu, vt in *Nou.*
123. *c.* 7. dicitur, vt dicerent, quae nouerint. Artifi- 21
ces autem de iis, quae artis ſuae, iurare debebant, ſe
dicturos *ex animi ſententia*, quod putent, hoc eſt, ex
conſcientia & ſincera fide, de qua iurisiurandi formu-
la vid. Cuiac. *lib.* 1. *Obſeru.* 21. Abſentes per tabulas 22
teſtimonium dabant, quae in iudiciis recitabantur, qua
de re reſcriptum Hadriani exſtat, quod laudat Calli-
ſtratus *L.* 3. §. 4. *ff. de Teſtib. Alia eſt auctoritas prae-
ſentium teſtium*, *alia teſtimoniorum*, *quae recitari ſo-
lent.* Et haec ſignis eorum, qui intererant, obſigna- 23
ri conſueuiſſe, docent Cic. *pro Quinct. cap.* 6. & Vlpia-
nus *L.* 9. §. 5. *ff. de Poen.* quibus tamen in iudiciis
haud magna fides habita. *L. Lucius Titius* 21. *ff. de his,
qui not. infam.* Et de teſtibus hactenus.

Alter modus probandi eſt per *tabulas* ſeu *inſtru-* 24
menta,

menta, quae vel *publica* ſunt, vel *priuata*. Illa plenam
fidem habent, adeo, vt & teſtibus potiora ſint: *L.* 10.
ff. de Probat. L. 31. *C. de Donat.* haec firmiter non pro-
bant, niſi quae vtriusque conſenſu ſcripta ſunt, & te-
ſtium praeſentia & ſubſcriptione confirmata. Si te-
ſtes adhibiti non ſunt, non aliter probant, niſi con-
tra eum proferantur, qui ea ſcripſit, isque a ſe ſcripta
fateatur, aut comparatione literarum conuincatur. *L.*
25 20. *C. de Fid. inſtrum.* Formam conficiendi inſtrumen-
ta oſtendit Ambroſius *lib.* 2. *in Luc. cap.* 2. *Nam ſi
conſules*, inquit, *adſcribuntur tabulis emtionum, quan-
to magis redemtioni omnium debuit tempus adſcribi?
Habes ergo omnia, quae in contractibus eſſe conſueue-
runt: vocabulum ſummam illic poteſtatem gerentis, di-
em, locum, cauſſam: Teſtes quoque adhiberi ſolent &c.*
26 Obſignandi modum perſpicue tradit Paull. *lib.* 5. *Sen-
tent. tit.* 25. *Ampliſſimus ordo decreuit, eas tabulas, quae
publici vel priuati contractus ſcripturam continent, ad-
hibitis teſtibus ita ſignari, vt in ſumma marginis ad
mediam partem perforatae triplici lino conſtringantur,
atque impoſitum ſupra linum cerae ſigna imprimantur,
vt exterioris ſcripturae fidem interiori ſeruent. Aliter
27 tabulae prolatae nihil momenti habent.* Hoc SC. de
quo agit Paullus, factum fuit Neronis aeuo, vt Sue-
tonius teſtatur *in Neron. cap.* 17, quamuis obſignandi
modum per ceram & linum iam olim obſeruatum fu-
28 iſſe, apparet ex Plaut. *Bacchid. act.* 4. *ſc.* 4. *v.* 64. Ob-
ſignatas autem tabulas annulis ſignatoriis, vel vnus
Plaut. *Curcull. act.* 2. *ſc. vlt. v.* 67. idoneus teſtis eſt.

29 Superſunt *argumenta*, quae vel *neceſſaria* ſunt,
30 vel *contingentia*. Neceſſaria, quorum conſequentia
neceſſaria eſt, veluti, non promiſiſſe Titium Kalen-
dis

Digitized by Google

dis Romae, quum eo die fuerit Athenis: coiuiſſe eam, quae peperit, &c. cuiusmodi argumenta non minus probant, quam tabulae aut teſtes. *L. 19. C. de R. V. L. 2. C. de Teſt.* Hotoman. *ad tit. C. de Probat.* Contingentia ſunt, quorum conſequentia non eſt ne- 31 ceſſaria, & proprie in iure noſtro *Praeſumtiones* vocantur, de quibus ab aliis, & praecipue *Menochio*, copioſe actum eſt.

Peracta probatione & cognita cauſſa, poſtulatum 32 ab Iudice, vt iret in conſilium, quod Cicero demonſtrat *pro Quinct. cap.* 10, vbi ad Aquilium iudicem ait: *Tibi inſtat Hortenſius*, VT EAS IN CONSILIVM. So- 33 lebant enim iudices plerumque amicos quosdam & iurisperitos in conſilium adhibere, quemadmodum in cauſſa Quinctii, tres ICtos ab Aquilio adhibitos legimus, L. Lucullum, P. Quinctilium, & M. Marcellum: in cauſſa Roſcii Comaedi, M. Perpennam &c. qui rogati in conſilium, iisdem ſubſelliis conſidebant, quo Iudices, Gell. *lib.* 14. *cap.* 2, atque ita de conſilii 34 ſententia Iudices pronunciabant, cuius rei clariſſimum exemplum exhibet Plinius *lib. 5. epiſt.* 1. qui electus a Curiano in iudicem, poſtquam Curianus dixerat, eique reſponſum fuerat, *ſeceſſi*, inquit, *& ex conſilii ſententia*, VIDETVR, *inquam*, CVRIANE, MATER TVA IVSTAS HABVISSE CAVSAS IRASCENDI TIBI. Si plures iudices dati, inter pares numero, ſi diſ- 35 ſonae ſententiae proferebantur, in liberalibus quidem cauſſis, pro libertate ſtatutum obtinebat, in aliis autem cauſis pro reo, *L. 38. ff. de Re iud.* quum iura ſemper procliuiora ſint ad liberandum, quam ad obligandum, & quod praeſtat nocentem abſoluere, quam innocentem damnare. *L. 5. de Poen.* Quod ſi 36 duo

duo Iudices dati diuerſas ſententias dixiſſent, vtraque ſententia in pendenti erat, donec competens Iudex v-
37 nam earum confirmaſſet. *L.* 28. *ff. de re iud.* De qua autem re cognouerat Iudex, de ea, vt ſententiam pronunciaret, cogi poterat, *L.* 74. *pr. ff. de Iudic.* niſi cauſſae obſcuritatem praetendens, quaſi illam non intellexerit, *ſibi non liquere*, iuraret. Gell. *lib.* 14. *cap.* 2. Franc. Robortell. *lib.* 2. *Emendat. c.* 25. Corn. Vitel. *in Merulam cap.* 21. *pag.* 625. Pacian. *lib.* 1. *de Probat.* 39. 4.
38 Et tunc ſpatium dabatur ad amplius cognoſcendum, *L.* 13. *§. vlt. ff. de Recept. arbitr.* vbi is, in cuius oratione obſcuritas ſignificata ab Iudice, prior dicebat. *Franc.* Robortell. *c. l. p.* 94.
39 In concipiendis autem ſententiis, morem fuiſſe, vt quae iudices cognouiſſent, ea, non vt eſſe facta, ſed *videri* pronunciaſſe, iam ſupra adnotauimus, quem morem etiam in centumuirali iudicio obſeruatum, ex Plin. *lib.* 5. *epiſt.* 1. apparet, & de SCtis, Augurumque ac Pontificum decretis ex Liuio & Cicerone demonſtrat
40 Briſſon. *lib.* 2. *Antiq. Iur. Ciu. cap.* 2. Haec ſententiarum concipiendarum ratio ſine dubio originem traxit ex veteri formula pronunciandi: *Si quid mei iudicii eſt*, quam fruſtra priuatarum litium iudices addidiſſe olim, quum ſententiam pronunciaſſent, Cicero dicit, *lib.* 2.
41 *de fin. c.* 12. Nihil enim aliud *videri* ſignificat, quam illa vetus formula: *Si quid mei iudicii eſt.* Vid. Raeuard.
42 *Protribun. cap. vlt.* Interdum tamen alio quoque modo pronunciaſſe, v. g. *condemno*, aut *ille debet*, aut *ſolue*, vel etiam *ſecundum te litem do*, exempla euincunt. Ita enim Macer. *L.* 1. *ff. quae ſent. ſine appell. Si iudex ita pronunciauerit; quum conſtet, Titium Seio ex illa ſpecie quinquaginta, item ex alia XXV debere, idcir-*

co

Digitized by Google

co L. Titium Seio centum CONDEMNO. Vlpian. *L.*
59. *ff. de Re iud. Si tamen is, qui petit, ſummam expreſ-*
ſerit, & iudex ait: SOLVE, QVOD PETITVM EST,
VEL QVANTVM PETITVM EST &c. & Val. Max.
lib. 8. *c.* 1. Atilium Calatinum Iudicem ita pronunciaſſe,
ait: *Itaque Luctati, quamuis adhuc tacueris,* SECVN-
DVM TE LITEM DO. Aliud exemplum vid. apud
Cic. *pro Roſc. Comoed. cap.* 1. Imo ſolemnes quoque 43
formulae fuerunt, quae in iniuriarum actionibus maxi-
me in vſu erant, *iure feciſſe*, aut *non iure feciſſe videri*,
quarum exemplum refert Imperator *pr. Inſt. de Iniur.*
Iniuria, inquit, *eſt* ἀδικία, i. e. *iniquitas. Itaque quum*
Praetor vel iudex NON IVRE *contra quem pronunciat,*
iniuriam accepiſſe dicitur. Hinc nota quoque vox
Concinnati Dictatoris, apud Liu. *lib.* 4. *cap.* 15. *ſe Mae-*
lium iure caeſum pronunciare: & C. Caſſii apud Taci-
tum *lib.* 14. *Ann. c.* 43. *extr. Pronunciemus vltro, domi-*
num IVRE *caeſum videri.* Curare autem debebat iu- 44
dex, vt omnino, quantum poſſet, certae pecuniae vel
rei ſententiam ferret, etiam ſi de incerta quantitate a-
pud eum actum eſſet. §. 32. *Inſt. de act.* Hanc enim ob 45
cauſſam adire ſolent litigantes iudicem, vt rem incer-
tam & dubiam ſua pronunciatione faciat certam: *L.* 1.
ff. de re Iud. quamuis hoc caſu nihilominus valeat ſen-
tentia, ſi ex petitione actoris elici poſſit, quantum re-
us praeſtare debeat, *L.* 59. §. 1. *ff. eod.* cuius incertae
ſententiae exemplum profert Vlpianus *L.* 21. §. 3. *ff. de*
Recept. Arbitr. Quantum ei debes, redde. Diuiſioni
veſtrae ſtare placet: pro ea parte, quam creditoribus tu-
is ſoluiſti, accipe.

Solemnia in ritu ferendae ſententiae fuere (1) 46
vt iudices ſententiam de tabula recitarent, quod non

 minus

minus in priuatis iudiciis, quam publicis obſeruatum,
euidenter docet Seneca *lib.* 3. *de Benef. cap.* 7. *De qui-
busdam,* inquit, *etiam imperitus iudex dimittere tabu-
lam poteſt. Vbi feciſſe, aut non feciſſe, pronunciandum
eſt, vbi prolatis cautionibus controuerſia tollitur.* At-
47 que huc etiam referendus tit. Cod. *de Sententiis e pe-
riculo recitandis,* vbi male vulgo, *e breuiculo*, legunt.
Periculum enim libellum ſignificat, & e periculo reci-
tare eſt, de ſcripto pronunciare. Vid. Langlaeum *lib.*
5. *Semeſtr. cap.* 5. Conf. Cuiac. 5. *Obſ.* 25, quem male
48 reprehendit Hotoman. *lib.* 3. *Obſ.* 20. (2) Vt ſedentes
ſententiam ferrent. Iudices enim ſedere, Aduocati
contra ſtare ſolebant, *L.* 6. §. 6. *C. de Poſtuland.* Pollet.
49 *lib.* 1. *Hiſt. For. R. cap.* 5. *pag.* 37, qui has rationes ſub-
iungit, quod animus ſedendo magis ſapiat, ſicuti Tra-
nio apud Plaut. *Moſtellar. act.* 5. *ſc.* 1. *v.* 54. *nimio plus
ſapio ſedens*, quum natura nulla moleſtia impedita con-
ſtantius in rem propoſitam ſe intendat: & quod aucto-
ritas Magiſtratus ita magis conſpicua. Conf. Langlae-
us *lib.* 1. *Semeſtr. cap.* 3. Seb. Vant. *de Nullit. tit.* 13. *n.*
84; quas rationes tamen vt friuolas reiicit Menoch.
Arbitr. Iud. Quaeſt. 6, atque hoc ritu innui putat, iu-
dicem ſedate, & re omni accurate perpenſa iudicare
debere. (3) Vt fiat in praeſentia litigatorum, ſeu eo-
50 rum, ad quos res pertinet *L.* 47. *ff. de Re iudic.* Nec
enim ſententia altero abſente publicari poterat, niſi hic,
ſi ſtudio ſe occultaret, trinis denunciationibus, aut lite-
ris, aut edictis, vel etiam vno peremtorio, vocatus fu-
erit. Paull. *lib.* 5. *Sentent. tit.* 5. *L.* 73. *ff. de Iudic.* Tunc
enim quaſi in contumacem dicta ſententia, quae aucto-
ritatem rei iudicatae obtinuit. Paull. *cit. loc.*

51 Pronunciata ſententia iudicium finem accipiebat,
&

Google

& Iudex ſententiam ſemel latam, neque augere litte-
ra, neque minuere poterat. Apulei. *lib:* 1. *Florid. ſect.* 52
8. *p.* 775. Semel enim, ſiue male, ſiue bene, officio ſuo
functus *L.* 55. *ff. de Re iud.* Vnde Alfenus ICtus *L.* 62.
*ff. eod. quum quaerebatur iudex, ſi perperam iudicaſ-
ſet, an poſſit eodem die iterum iudicare? reſpondit: non
poſſe.* Et huc pertinet, quod Plutarchus de Philippo
Macedone refert, quod quum dormitabundus con-
demnaſſet Machetem, isque appellaſſet Philippum vi-
gilantem & attentum, rurſus cognita cauſſa iudicatum
non reſcidit, ſed pecuniam, in quam condemnauerat
Machetem, ipſe perſoluit. Contra latam ſententiam
reſtabat prouocationis ſeu appellationis remedium, de
quo in ſequenti capite acturi ſumus.

Expoſuimus igitur nunc ordinem proceſſus Ro- 53
mani vsque ad ſententiam, & quemadmodum per pro-
bationes ad eam peruentum. Sed quoniam probati-
onum multa moleſtia, aliquando & inopia & difficul-
tas, hinc ſaepe lis transactione aut iureiurando termi-
nabatur, cuius & ante, & in ipſo iudicio, & antequam
ad probationem ventum eſt. Hoc autem iusiurandum 54
vel pars parti deferebat, vel iudex. Dum pars defe- 55
rebat, aduerſarius illud aut ſuſcipere & praeſtare, aut
referre cogebatur, niſi id remitteretur. *L.* 34. §. 6. *ff.
de Iureiur.* Is vero, qui deferebat, modeſte agere vide-
batur, quum litis aduerſarium iudicem faceret, eum,
cuius cognitio erat, onere liberaret. Quinctil. *lib.* 5. *cap.*
6. Iurari autem oportebat, prout delatum erat iusiu- 56
randum. Nam ſi detuliſſet quis, vt per Deum iuraret,
& ille per caput ſuum vel ſalutem ſuam iuraſſet, non
erat iuratum habendum iusiurandum. *L.* 34. §. 8. *ff.
h. t.* Ex quo id colligimus, deferentem olim expreſſiſ- 57

 ſe,

Digitized by Google

58 ſe, quo modo id praeberi vellet aduerſario. Nam
quum conceptis verbis iurandum eſſet, praeire aliquis
ſolebat iuranti ſolemni formula, quam deferens prae-
ſcripſerat, Plaut. *Rudent. act.* 5. *ſc.* 3. Curt. *lib.* 7. *cap.*
1. *n.* 29. Plin. *lib.* 10. *epiſt.* 60. Pollet. *lib.* 4. *Hiſt. For.*
59 *R. cap.* 14. Quod ſi de qualitate iuramenti inter partes
fuit dubitatum, conceptio eius arbitrio iudicantis erat.
60 *L.* 34. §. 5. *ff. h. t.* Si uero aduerſarius illud referret,
eodem modo referre debebat, vti ipſi delatum fuit,
& ſi aliter referebat, officio iudicis conceptio iurisiu-
61 randi terminabatur. *L.* 34. §. 8. *ff. eod.* Poterat vero is,
cui iusiurandum delatum, aduerſarium cogere, vt de
calumnia iuraret. *L.* 34. §. 4. *ff. eod.* Paull. *lib.* 2. *Sen-*
62 *tent. tit.* 1. Parentes tamen & patroni, liberis libertis-
ue iusiurandum deferentes, de calumnia non iurabant.
L. 7. §. 3. *ff. de Obſeq. parent. & patr. praeſt.* Nec ille,
qui referebat, quum non ferendus ſit actor, ſi vellet
ſibi iurari de calumnia conditionis, quam ipſe detulit.
L. 34. §. 7. *ff. h. t.*

63

Iudex parti deferebat iuramentum, vel ob inopi-
am probationum, in cauſſis dubiis, ob contumaciam &
dolum aduerſarii, illud *neceſſarium*, hoc *iuramentum in*
64 *litem* dictum eſt. Neceſſarium autem non ex Conſti-
tutionibus Principum demum introductum, vt Donell.
lib. 24. *cap.* 19. contendit, ſed iam olim obtinuiſſe *The-
odor.* Marcill. *in LL. XII. tabb. collect. cap.* 72. *pag.* 265.
65 oſtendit. Deferebat autem hoc iudex tantum ob ino-
piam probationis in cauſſis dubiis, *L.* 31. *ff. h. t. L.* 3. *C.
eod.* alias enim ſuperuacuum eſt, ſi actori, aut iniquum,
66 ſi reo deferatur. Donell. *lib.* 24. *c.* 19. In litem iura-
re iudex aut Praetur permittebat, quando res ob do-
lum

Digitized by Google

lum ſeu culpam aduerſarii reſtitui non poterat domi-
no. Lis enim hic rem controuerſam ſignificat, & iu 67
rare in litem eſt, iurare in aeſtimationem rei, ſeu quan-
ti rem controuerſam quis aeſtimet. *L.* 1. 3. 4. *ff. h. t.*
Aliter tamen res aeſtimabatur, ſi ob dolum ſeu con- 68
tumaciam aduerſarii reſtitui non poterat, aliter, ſi ob
culpam. Illo caſu affectioni actoris indulgebatur, ita, 69
vt abſque taxatione in infinitum iurare poſſet. *L.* 68. *ff.*
de R. V. Ant. Fabr. *lib.* 16. *Coniect.* 17. Bronchorſt.
1. *Miſcell.* 61, tum quia inuitus rem ſuam quaſi vendere
cogitur, *L.* 8. *ff. h. t.* tum quia hac ratione aduerſarii
dolus coerceri poterat, qui ſententiae eludendae cauſ-
ſa dolum commiſit, vnde & a Dd. *iuramentum Adfe-*
ctionis dictum eſt. Franz. *ad ff. h. t. n.* 6. De nonnul-
lis tamen rebus hoc iuramentum praeſtari non potu-
it, v. g. in quibus nulla cadit affectio, quas latius pro-
ſequutus eſt *Nicol.* Bellon. *Supputat. Iur. Ciu. lib.* 2.
cap. 13. Si vero ob culpam non poterat reſtitui, adie- 70
cta taxatione iurabat, quod *iusiurandum veritatis* di-
ci ſolet, quum hic lis, quanti actoris vere intereſt, ſe-
cundum communem valorem aeſtimatur *L.* 2. §. 1. *h. t.*
modo neceſſitas hoc vrgeat, & iudex rem aliter aeſti-
mare non poſſit. *L.* 4. §. *f. ff. h. t.* Formam huius iura- 71
menti oſtendit Iauolenus *L.* 9. *ff. eod. Quum furti agi-*
tur, iurari ita oportet, tanti rem fuiſſe, quum furtum
factum ſit. Et tantum de iuramentis.

CAPVT VI.

DE APPELLATIONIBVS.

SVMMARIA.

1. Libera Rep. in priuatis iudiciis raro appellatum.

2. 3. Tribuni pl. quando appellati?

4. Quando Coss. aut alter Praetor?

5. In

Digitized by Google

5. In publicis iudiciis ad populum prouocatum.
6. Sub Caeſaribus creuit prouocandi licentia.
7. Auguſtus appellationes Praefecto Vrbi delegauit.
8. Caligula Magiſtratibus ius de non prouocando reſtituit.
9. Quod tamen breui exoleuit.
10. Nero poenam appellanti ſuccumbenti ſtatuit.
11. Appellationes iterum Praefecto Vrbi commiſſae.
12. A quo demum ad Principem prouocatum.
13. A iudice pedaneo quis primum appellatus?
14. Ordo appellationis quis?
15. Litterae appellatoriae quomodo conceptae?
16. Has Iudex recipere tenebatur.
17. Apoſtoli quomodo concepti?
18. Quo die appellans hos petere deberet?
19. Medeſtinus, cur in libro de Praeſcriptionibus, de Apoſtolis egerit?
20. 21. Appellans certam pecuniam ſpondebat, niſi iuſte adpellaſſet.
22. Sequeſter quando conſtitutus?
23. Appellans grauamina ſuperiori Iudici ipſe proponebat.
24. Haec, quibus verbis in Pandectis noteutur.
25. Formulae pronunciandi in cauſſis Appellationum?
26. Iniuſte appellans ſumtus quadruplos aduerſario reſtituebat.
27. 28. 29. A quibus Magiſtratibus prouocari non potuerit?
30. *Beneficium reſtitutionis in integrum* cur introductum?
31. *Beneficium ſupplicationis* quornam?
32. 33. 34. A quibus cauſſis appellari non potuerit?

1 Reſtat hodie contra latam ab iudice ſententiam Appellatio ſuperioris, quae olim libera republ. Romana in priuatis iudiciis perquam raro interponeba-
2 tur. Nam quum quisque, ſi iudicium ſemel accepiſſet, iudicatum ſolui compelleretur, frequentius ante iudicium acceptum Tribunos pleb. appellatos legimus, vt intercederent, ne dies aut actio diceretur. Exem-
3 plum apud Plutarchum eſt *in Vit. Caeſar.* quod & Aſcon. Paedian. refert *in Cic. Or. in Tog. Candid. pag.* 145, vbi C. Antoninus, qui in Achaia ſpolia commiſerat, atque a Graecis, quos ſpoliauerat, ad M. Lucullum, praetorem peregrinum, in ius vocatus eſſet, isque, quod Graeci poſtulaſſent, decreuiſſent, Tribunos pleb. appellaſſe dicitur. Conf. Cic. *pro Quinct.* *cap.*

Digitized by Google

cap. 20. Nec deſunt exempla, vbi a Praetore Conſu- 4
les appellatos legimus, vid. Gell. *lib*. 7. *cap*. 7. Val.
Max. *lib*. 7. *cap*. 7. *n*. 6, & a Praetore alium Praeto-
rem, vt intercederet, quod ex Cic. 3. Verr. Aſcon. Pe-
dianus oſtendit *pag*. 101. *Intercedere*, inquit, *vt vides*,
etiam Praetor Praetori ſolet, *vt Piſo Verri appellatio-*
ne cauſſae ad collegam facta. In publicis vero iudici- 5
is non ſolum ad Tribunos, ſed etiam ad ipſum popu-
lum Rom. prouocari poterat, quod ſpeciali lege Vale-
rius Publicola, ſtatim exactis regibus introduxit, Liv.
lib. 2. *c*. 8. quam quum ſublata a decemuiris eſſet, L.
Valerius Coss. reſtituit, Id. *lib*. 3. *c*. 55, ac tandem a M.
Valerio Cos. repetita fuit. Id. *lib*. 10. *cap*. 9. Vid. *Iul.*
Caeſ. Ruginellus *de Appellation. in prooem.* Mutato au- 6
tem reipubl. ſtatu, deficiente paulatim Praetorum po-
teſtate, prouocandi licentia in immenſum creuit, prae-
ſertim cum ex reſcripto Principis peti darique Iudi-
ces coepere, a quibus, vt & a Magiſtratibus ad Prin-
cipem prouocari poterat. Has vero appellationes Au- 7
guſtus Caeſar quotannis aut Praetori vrbano, (ſiue vt
Caſaubon. *ad Sueton. cap*. 33. legi mauult, Praefecto
Vrbi) ſi vrbani eſſent litigatores, aut ſi prouinciales,
viris Conſularibus, quos ei curae praefecerat, delega-
uit. Sueton. *cap*. 33. Caius vero Caligula initio imperii 8
Magiſtratibus liberam iurisdictionem reſtituit ſine ſui
appellatione, Id. *Calig*. *cap*. 16, quod tamen non diu
manſit. Nam & ad Senatum & ad Principem paſſim 9
prouocabatur. Et quum ad Principem appellantibus 10
certa, ſi ſuccumberent, propoſita eſſet poena, Nero
ſtatuit, vt eiusdem pecuniae periculum facerent, &

Digitized by Google

qui Senatum appellaſſent, & qui Principem. Sueton.
11 *Ner. cap.* 17. Tacit. *lib.* 14. *Ann. c.* 28. *n.* 2. Tandem,
quum Praefecti Vrbis auctoritas & dignitas in maius
faſtigium eucheret, inſtitutum eſt, vt ab omnibus Iu-
12 dicibus ordinariis ad illum prouocaretur. Vid. Vopiſc.
in vit. Florian. cap. 5. 6. *L.* 17. *C. de Appell. L.* 13. *C.*
Th. eod. iunct. L. 33. *C. d. tit.* Et ab hoc demum ad
Principem prouocatio permiſſa erat, cuius rei exem-
plum eſt *in L. Aemilius* 38. *ff. de Minor.* vbi Paullus
pupillam, quae in integrum reſtitui deſiderabat, vi-
ctam tam apud Praetorem, quam apud Praefectum
Vrbi, ad Imperatorem prouocaſſe tradit. Add. *L.* 11. *C.*
Th. de his, qui per met. Iud. L. 23. *C. Th. de Appellat.* ex
qua male colligit *Franc.* Iuretus *in Symmach. lib.* 10.
epiſt. 5, olim ſimpliciter a ſententia Praefecti Vrbis ap-
pellare non licuiſſe. Conf. Ill. Stryk. *Diſſ. ad cit. L.*
Aemilius c. 1. *n.* 12. Ruginell. *de Appellat. in prooem.*

13 Vt ergo veteris huius Appellationis modum,
prout eius veſtigia in Pandectis ſuperſunt, breuiter ex-
ponamus, appellatio ad eum primo fieri debebat, qui
dederat iudicem *L.* 1. *& vlt. ff. quis & a quo app.* nec
tamen appellanti obfuit, ſi ex errore alium appellaſſet,
qui par aut maior erat, quum nihilominus is cognoſce-
ret, qui appellari debuit: ſecus ſi minorem *L.* 1. §. 3. *ff.*
de Appellat. Atque ab hoc Magiſtratu prouocatio de-
mum ad Principem facta, aut ad illum, cui Princeps
14 hoc munus delegauerat. *L.* 21. *pr. ff. de Appellat.* Ordo
appellationis hic fuit: prolata ſententia aut ſtatim inter
acta interponi ſolebat appellatio, vbi ſatis fuit, ſi quis
dice-

Digitized by Google

diceret, APPELLO, *L.* 2. *pr. ff. de Appell.* aut litteris
appellatoriis opponebatur, in cauſſa propria quidem
altero, in aliena, tertio die. *L.* 1. §. 11. 12. 13. *ff. quand. ap-
pell. ſit.* Litterae appellatoriae ita conceptae erant, vt 15
a quo dati eſſent, i. e. quis appellaret, & aduerſus quem,
& a qua ſententia, ſcriptum haberent. *L.* 1. §. *vlt. ff. de
Appell.* quamuis non ſemper neceſſe fuerit addi, con-
tra quem quis appellaret *L.* 3. *ff. eod.* nec a qua parte
ſententiae. *L.* 13. *ff. eod.* Atque has literas appellans 16
ipſi iudici, a quo appellabat, tradere oportebat *L.* 7. *ff.
eod. L.* 1. §. 7. *ff. quand. appell. ſit*, quas iudex recipere
tenebatur ſub poena 50 auri pondo: *L.* 21. *C. de Ap-
pell.* quum appellandi facultas non in approbatione iu-
dicis, ſed iuris auctoritate ſita ſit. Donell. *lib.* 28. *cap.* 6.
Interpoſita igitur appellatione, iudex libellos dimiſſo- 17
rios, quos *Apoſtolos* nominamus, ad eum Magiſtratum
dabat, quem grauatus appellauerat *L. vn. ff. de libell. di-
miſſ.* qui ita concipiebantur: *Appellauit Lucius Titius
a ſententia, quae inter ipſum & aduerſarium eius dicta
eſt. cit. L. vn.* §. 1. Hos tamen intra diem quintum a 18
prouocatione appellans inſtanter & ſaepius petere, ac-
cipere & reddere debebat. *cit. L. vn.* §. *vlt.* Paull. *lib.* 5.
Sentent. tit. 34. Qui intra conſtitutum diem Apoſto- 19
los non petierat, repellebatur praeſcriptione. Paull. *cit.
loc.* Et haec cauſſa eſt, cur Modeſtinus in libro ſingu-
lari de Praeſcriptionibus, de Apoſtolis tractauerit, vt
appareat ex epigraphe *L. dimiſſoriae* 106. *ff. de V. S.* Ex 20
die autem acceptorum Apoſtolorum intra quintum di-
em ſpondere, aut de certa poena cauere debet appel-
lans, in iuſte appellauerit, quod & abſens facere tene-

H 2 batur,

Digitized by Google

batur, ſi intra quintum diem ſuperueniſſet: itineri au-
tem facienti, in ſingula millia paſſuum, ſinguli ei dies
21 dabantur. Paull. *c. l. tit.* 33. ibique Cuiacius. Cautio ta-
men non praeciſe per fideiuſſores praeſtanda erat, ſed
& pignora admittebantur, quae depoſita amittebat ap-
pellans, ſi contra eum fuerat pronunciatum. Paull. *cit.*
22 *loc.* Interea, ſi poſſeſſor alicuius praedii condemna-
tus appellauerat, fructuum cauſſa a die prouocationis
Sequeſter conſtituebatur. Paull. *cit. loc. tit.* 36. §. 1.
Symmach. *lib.* 10. *epiſt.* 45. Petitore vero appellante,
fructus apud poſſeſſorem manebant, nec cautio eorum
nomine poſtulari poterat, niſi eos populitaret poſſeſ-
23 ſor. *L.* 21. §. 3. *de Appellat.* Vbi autem ad iudicem ap-
pellationis ventum fuit, appellans prouocationis cauſ-
ſas, ſeu grauamina, vt hodie dicimus, proponebat,
quas in pecuniariis cauſſis etiam per Procuratorem
reddere poterat. *L.* 1. *ff. an per al. cauſſ. app.* Paull. *lib.*
24 5. *ſent. tit.* 35. Atque haec in iure noſtro a ICtis verbo
dicens, vel *quod diceret*, exponuntur. Ita enim in *L.*
28. *ff. de Tut. & Cur. dat. Romanius Appulus a iudi-
ce appellauerat*, DICENS, *ſe non debuiſſe dari in tute-
la collegam &c.* & in L. 41. ff. Fam. herciſc. *quaedam
mulier a iudice appellauerat*, QVOD DICERET, *eum
de diuidenda hereditate inter ſe & coheredem non tan-
tum res, ſed & liberos diuiſiſſe* &c. Plura exempla vid.
25 apud Briſſon. *de Form. lib.* 5. *p.* 466. De hac ergo ap-
pellationis cauſſa cognoſcebat iudex, eamque vel *iu-
ſtam* vel *iniuſtam ſibi videri* pronunciabat. *L.* 24. *ff. de
Appell. L.* 6. §. 1. *ff. de his, qui not. inf. L. vlt. ff. de*
26 *Re iud. L.* 2. *ff. quand. appell. ſit.* Quod ſi iniuſta ap-
pella-

Digitized by Google

pellatio pronunciata eſſet, appellans ſumtus, quos,
dum ſequeretur, aduerſarius impendit, reddere de-
bebat, non ſimplos, ſed quadruplos, Paull. *lib.* 5. *Sen-
tent. tit. vlt.* cauſſaque ad priorem Iudicem remiſſa,
ſententia executioni mandabatur.

Non tamen ab omnibus Magiſtratibus prouoca- 27
ri ad Principem licebat, nec ab omni cauſſa. Nam
(1) a Senatu prouocatio prohibita in *L.* 1. §. 1. *ff. a
quib. appell. non lic.* quod Senatores pars eſſent cor-
poris Principis *L.* 5. *pr. C. ad L. Iul. Maieſt.* (2) A Iu-
dice delegato a Principe ſub lege iſta, ne prouocetur.
L. 1. §. 4. *ff. a quib. app. non lic.* (3) Ab eo iudice, a 28
quo litigantes ſe non prouocaturos cauerant. *cit. L.* 1. 29
§. 3. (4) A Praefecto Praetorio *L.* 17. *ff. de Minor.* Cre-
didit enim Princeps eos, qui ob ſingularem induſtri-
am, explorata eorum fide, & grauitate ad huius officii
magnitudinem adhibentur, non aliter iudicaturos pro
ſapientia ac luce dignitatis ſuae, ac ſi ipſe foret iudica-
turus, *L. vn.* §. 1. *ff. de Off. Praef. Praet.* Solus enim
hic vere ſacra vice iudicabat, *L.* 16. *C. de Appellat.* nec
vlla maior poſt Principem poteſtas fuit, de cuius au-
ctoritate vid. *Philipp.* Berter. *Pithanôn diatrib.* 1. *c.* 8.
Petr. Fab. *Semeſtr.* 1. 2. 3. Contra huius tamen ſenten- 30
tiam *Beneficium reſtitutionis in integrum* introductum
eſt, quod idcirco indulſerunt Imperatores, quia huius
petitione non Iudicis iniquitatem, ſed ſe ipſum accuſa-
ret grauatus, dum erroris proprii veniam peteret, aut
aduerſarii circumuentionem allegaret. *L.* 17. *ff. de Mi-
nor.* Atque huic nouo iure *Beneficium Supplicationis* 31

ſuperadditum, quo grauatus, vt denuo cauſſa cognoſceretur, petebat, *L. vn. C. de Sent. Praef. Praet.* cui tamen tanta vis non erat, vt ſententiae exſequutionem impediret, ſicut appellatio, niſi libellus Principi intra decendium offerretur, tum enim eo ſuſpendebat, donec victor datis fideiuſſoribus cautionem praeſtitiſſet, reſtituendi, quanta foret condemnatio, ſi legitima retractione ſententia reſoluatur: alias ſi poſt decendium cautio praeſtanda non erat, ſed indiſtincte ſententia exſequutioni mandabatur, dummodo intra biennium Principi ſupplicatum fuiſſet, oblato libello. *Auth. quae ſupplicatio C. de Prec. Imp. offer.* Broidaeus *in Suppl. Pollet. Hiſt. F. R. lib.* 5. *c.* 17. Atque ex his facile intelligenda differentia inter Appellationem, Reſtitutionem in integrum, & Supplicationem. Conf. Dn. Praeſ. *Diſſ. de Remed. contra rem iud. cap.* 4. (5) Appellari non poterat a centumuirali iudicio, quia magnificum & populare quoddam erat conſilium, quod auctoritate populi iudicauit. *Sibr. Tetard.* Siccama *de Centumuir. Iud. cap.* 6.

32 Ob cauſſae qualitatem non poterat appellari, (1) ſi res dilationem non reciperet, & ad vtilitatem publicam pertineret, v. g. de frumento in vſum militum, in annonae ſubſidia contrahendo. *L. vlt. pr. ff. de Appell. recip.* quod vulgo Dd. ad cauſſam alimentorum priuatis debitorum protrahunt, vid. Barboſ. *in L.* 1. *ff. Solut. Matrim. p.* 1. *n.* 56. Georg. de Cabedo *part.* 1.
33 *deciſ.* 66. (2) Sententia vel nihil, vel parum noceat aduerſario, vt de teſtamento aperiendo, de herede ſcripto

pto in poſſeſſionem inducendo, *cit. L. vlt. ff. de Appell. recip. L. 6. C. quor. app. non recip.* vbi poena cum appellanti, tum iudici qui recepit. (3) Sententia tribuat 34
id, quod certo iure tribuitur, *cit. L. vlt.* §. 1. *ff. de Appell. rec.* Plures apud interpretes habentur, quarum XLV refert Marant. *p. 6. de Appell. n.* 280. *vsque ad n.* 366.

CAPVT VII.
DE EXECVTIONE REI IVDICATAE.

SVMMARIA.

1. Res iudicata, quid?
2. Vulgaris ſignificatio ex Iure Can.
3. Res ſemel iudicata inſtaurari non poteſt.
4. Effectus rei iudicatae quis?
5. Rem iudicatam quis executioni mandet?
6. 7. 8. Tempus iudicati faciendi in perſonalibus actionibus XXX dierum fuit.
9. Auxit illud Conſtantinus M. ad duos menſes.
10. Iuſtinianus quadrimeſtre ſpatium conceſſit.
11. 12. Elapſo hoc tempore res condemnati vendebantur.
13. Egenus ſecundum LL. XII. tabb. creditori nexus addicebatur.
14. Addictum LX dies in carcere habebat creditor.
15. Diarii ſeruilis modus quis?
16. Romani pulte viuebant.
17. Puls ex quo compoſita.
18. Creditor debitorem tribus nundinis ad Praetorem ducebat.
19. 20. Poſtea vel poenam capitis dabat, vel trans Tiberim vendebatur.
21. 22. Si plures creditores, in partes ſecari debuit.
23. Quae tamen diſſectio in vſum nunquam deducta.
24. Quod etiam Tertullianus confirmat.
25. In eius autem locum bonor. proſcriptio introducta.
26. 27. 28. 29. Addictio ad operas iam ante LL. XII. tabb. Romae cognita.
30. Addicti & ſerui quomodo differant?
31. 32. Bonorum ceſſio a quo introducta?
33. Fiebat in iure.
34. L. vlt. ff. de Bon. Ceſſ. interpolata a Triboniano.

35. Re-

Digitized by Google

35. Reſtrictum hoc beneficium a Gratiano.
36. Quod Iuſtinianus iterum remiſit.
37. In realibus actionibus iudicato mox ſatisfieri debuit.
38. Contumax quomodo coercitus?
39. Concluſio.

1 Res iudicata eſt, quae finem controuerſiarum pro-
nunciatione Iudicis accepit, quod vel condemna-
tione vel abſolutione contingit. *L.* 1. *ff. de Re iud. L.*
40. §. 1. *ff. de Part.* Bachov. *ad Treutl. Vol.* 2. *diſp.* 23.
2 *th.* 1. *litt. A.* Communis ergo ſignificatio huius for-
mulae, qua ſententiam poſt decem dies in rem iudi-
catam tranſire dicimus, ex iure Canonico eſt, vid. *c.* 13.
3 *&* 15. *X. de Sent. & re iud.* Res autem ſemel iudica-
ta inſtaurari non potuit, Langlaeus *lib.* 1. *Semeſtr. cap.*
2. P. Fab. 1. *Semeſtr. cap.* 21, ſed agenti obſtabat exce-
ptio rei iudicatae, quae nec a iudice arbitrium haben-
te reiici poterat, vid. Menoch. *Arbitr. Iud. quaeſt.* 52,
etſi ſub obtentu repertorum poſtea inſtrumentorum
actor cauſſam retractari cupiat, L. *imperatores* 35. *ff.*
L. *ſub ſpecie* 4. *C. de Re iud.* aut ſub praetextu com-
putationis, e. g. ſi quis iudicio ſuperatus ideo ſe ſupe-
ratum dicat, quod in exſequenda lite male ſupputaſ-
4 ſet & ſubduxiſſet. Effectus autem rei iudicatae in
executione conſiſtit, qua victus adigitur per Iudicem,
vt id, ad quod condemnatus per ſententiam, victori
5 praeſtet, *tot. tit. C. de Execut. rei iud.* Non tamen Iu-
dex pedaneus ſententiam a ſe datam executioni ipſe
mandare poterat, ſed is Magiſtratus, a quo Iudex
conſtitutus fuit, L. 15. *ff. de Re iud.* quum iudex datus,
ſimul ac pronunciauerat, officio ſuo functus eſſet. L.
6 55. *ff. eod.* Iudicatis vero ſeu damnatis in actionibus
perſo-

Digitized by Google

perſonalibus, & quibus non certa res extans petebatur, ad iudicatum faciendum, ſiue ad ſoluendum id, in quod condemnati fuerant, tempus aliquod humanitatis gratia conceſſum, *L.* 1. *§.* 16. *ff. de Compenſat.* quod ideo *inducias* Iuſtinianus & *laxamentum* vocat *L.* 3. *C. de Vſur.* ſcilicet, vt interea pecuniam contrahere, explicare & facere iudicatum poſſent. Hoc la- 7
xamentum ab initio XXX. dierum fuit, ex notiſſima XII. Tabb. lege: *Æris confeſſis, debitique iure iudicatis, XXX. dies iuſti ſunto:* cuius meminit Gell. *lib.* 15. *c.* 13. & *lib.* 20. *c.* 1, eodemque pertinet *L.* 4. *§.* 5. & *L.* 7. *ff. de re ind.* Modicum hoc tempus & ſine 8
cuiusquam indignatione viſum, & in cuius mora non magnum eſſet detrimentum, ſeu damnum. Quod ipſum tamen nonnunquam iuſtis de cauſſis prorogabatur L. 2. *&* 31. *ff. de re iud.* Poſtea vero duorum 9
menſium ſpatium indultum fuit, per leges, vt *Iac.* Gothofredus *ad* L. *vn. C. Th. de Vſur. rei iud.* opinatur, Conſtantini M. de quo ſuperſunt L. *vn. C. Th. de Dol. Mal.* L. 2. *C. Th. de in integr. reſt.* L. *vlt. C. de Vſur. rei iud.* quod laxamentum tamen debitoribus ipſis tantum competebat, non fideiuſſoribus eorundem *arg.* L. 1. *ff. de re iud.* quippe qui ſtatim exigi poterant, vt teſtatur Iuſtinianus L. 3. §. 1. *C. de Vſur. rei iud.* Tan- 10
dem vero Iuſtinianus Imp. in vniuerſum quadrimeſtre ſpatium tam principali debitori, quam fideiuſſoribus eius conceſſit, *cit.* L. 3. vnde Graeci paſſim hoc tempus

Digitized by Google

facillime emtorem inuenire videbatur, pignori cape-
rentur & publice diſtraherentur, in quibus capiendis
diſtrahendisque, quis ordo, quaeque forma obſerua-
ta, pleniſſime tradit Vlpianus *L. A. D. Pio* 15. *ff. de Re*
12 *iud.* Atque talis proſcriptionis exemplum refert Se-
neca *lib.* 4. *de Beneſ. cap.* 12. *Spondeo*, inquit, *pro iu-
dicato, & ſuſpenſum amici bonis libellum deiicio, cre-
ditoribus eius me obligaturus, vt poſſim ſeruare proſcri-
13 ptum, ipſe proſcriptionis periculum ſubeo.* Quod ſi
ſoluendo non eſſet iudicatus, ſecundum LL. XII. Ta-
bularum denuo in ius rapiebatur, & ni mox iudica-
tum feciſſet, aut ſponſorem & fideiuſſorem dediſſet,
a Praetore creditori nexus addicebatur, de qua vete-
ri de nexis lege, eiusque vera lectione, vid. Cuiac. *lib.*
3. *obſ.* 39. Raeuard. *ad* LL. *XII. Tabb. cap.* 8. Forner.
1. *Select.* 6. Th. Marcill. *Collect. XII. Tabb. c.* 18. Cont.
lib. 2. *lect. ſubſec. cap.* 18. Hier. Magius 1. *Miſcell. c.* 8.
Robortell. 2. *Emendatt.* 35. Iac. Nicol. Loenſis 9. *Mi-
14 ſcell. Epiphyll.* 1. Salmaſ. *de Mod. Vſur. cap.* 18. Addi-
ctum vero a Praetore debitorem actor ſecum abdu-
cens, (vid. Cic. *pro Flacc. c.* 20. Liu. *lib.* 6. *c.* 14. 36.)
in vinculis eum per LX dies continuos habebat, cui,
ni ipſe ſuo poſſet aut vellet viuere, in ſingulos dies li-
bram farris porrigere tenebatur. *Foppius ab* Aezema
15 *lib.* 1. *Diſſert. Iur. Ciu. cap.* 15. Hic enim diarii ſeruilis
modus erat, quod Horatius teſtatur *lib.* 1. *Satyr.* 5. *v.*
69. Libram autem non panis, vt vult Cuiac. 11. *Ob-
ſeru.* 22. ſed pultis ſignificari, ex priſco victu euincit
16 *Theod. Marcill. in* LL. *XII. Tabb. Collect. cap.* 18. Ita
enim Plin. *lib.* 18. *cap.* 8. *Pulte, non pane vixiſſe longo
tem-*

Digitized by Google

tempore Romanos, manifeſtum eſt: & Val. Max. *lib.* 2.
c. 5. *Erant adeo continentiae attenti*, (maiores noſtri)
vt frequentior apud eos pultis vſus, quam panis eſſet. E 17
rat autem puls farina cocta, cum aqua & ſale. Nec
enim antiquis temporibus vlli Romae piſtores cogniti,
qui panem conficerent, ſed tantum, qui farinam pinſe-
rent, hoc eſt, tunderent. Varro apud Nonium *in*
pinſere, & *de vita Pop. Rom. lib.* 1. Poſtea tamen &
far pro pane vſurpatum, quo ſenſu Perſius vſus *Sat.* 3.
v. 112. vbi vetus Scholiaſtes notat: *Farinam, panem*
non delitioſius cribro decuſſum, ſed plebeium, de populi
annona, i. e. fiſcalem dicit. Inter eos autem dies, qui- 18
bus debitorem in carcere habebat creditor, tribus
nundinis ad Praetorem eum in Comitium producebat,
vt repeteret publice, in quantam pecuniam fuerat ad-
dictus, forte ſi quis miſericordia aut familiaritate du-
ctus ſoluere eam vellet, hominemque miſerum vin-
culis liberare. Si intra illud tempus trinundinum ne- 19
mo cum creditore pactus eſſet de pecunia quouis mo-
do ſoluenda, tum aut capitis poenam dabat, aut trans
Tiberim peregre venundari poterat, vt ex pretio de-
bitum ſuum conſequeretur creditor. Atque hic re- 20
cte monet Turneb. *lib.* 24. *Aduerſar. cap.* 43. hoc lo-
co ſignificari, vt extra fines Romani agri, qui venditus
eſſet, ſeruiat, quum transtiberina regio extra agrum
Romanum proprie dictum eſſet, & in eo genere agri,
qui peregrinus habebatur, cenſeretur, etiam Etruriae

Digitized by Google

erant creditores, vt vnusquisque pro portione debiti
partem ſumeret, cui tamen nec fraudi fuit, ſi plus mi-
22 nusue ſecuiſſet, quam debiti portio eſſet. Et de hac
lege etiam Quinctil. *lib.* 3. *cap.* 6. *Sunt quaedam*, inquit,
non laudabilia, ſed iure conceſſa, vt in XII tabb. debi-
23 *toris corpus inter creditores diuidi licuit.* Verum cru-
delem hanc & immanem membrorum diſſectionem
nunquam in vſum deductam legimus, quum etiam
ipſe Gell. *lib.* 20. *cap.* 1. teſtetur, hominem diſſectum
antiquitus fuiſſe, ſe neque legiſſe neque audiuiſſe vn-
24 quam. Atque hoc idem Tertullianus confirmat *in
Apologet. c.* 4. cuius verba ſunt: *Sed & iudicatos retro
ſecari in partes a creditoribus leges erant: conſenſu ta-
men publico eroſa, & in pudoris notam capitis poena
conuerſa, bonorum adhibita proſcriptio ſuffundere ma-*
25 *luit hominis ſanguinem, quam effundere.* Ex quo col-
ligit Contius *lib.* 2. *Lect. Subſec. c.* 18, capitis poenam
in bonorum proſcriptionem mutatam fuiſſe, quam ſo-
lemnem iſtam bonorum emtionem interpretatur, quae
ab Iuſtiniano *Inſt. de Succeſſ. ſubl. quae fieb. per bon.
vend.* abolita fuit, cuius nomine bonorum emtor ad
ſimilitudinem bonorum poſſeſſoris quaſi vniuerſitatis
26 cuiusdam ſucceſſor dicebatur. Caeterum iam ante
decemuirales leges Romae introductum erat, ut qui
pecuniam deberent, quum ſoluendo non eſſent, tra-
hi a creditoribus atque ad operas in ſeruitute prae-
ſtandas cogi potuerint, qua licentia abuſi multi, in ter-
ga etiam miſerorum crudeliſſime ſaeuierunt. Liv. *lib.*
27 2. *cap.* 23. Raeuard. *ad LL. XII. Tabb. cap.* 8. Hanc ni-
miam crudelitatem decemuiri alio longe crudeliori me-
dio

Digitized by Google

dio addictos territandi excruciandique penſarunt, vt
aut capitis poenam daret debitor, corpus in partes ſecando, aut in ſeruitutem trans Tiberim peregre mitteretur: quam venditionem tamen non magis Romae 28
vnquam locum habuiſſe, quam ipſam ſectionem, exiſtimat *Claud.* Salmaſ. *de Mod. Vſurar. cap.* 18. Inter tot
enim querelas nexorum, quae apud Liuium & Dionyſium Hallicarnaſſeum habentur, non magis vlla de
huiusmodi venditione, quam de capitis ſupplicio occurrit. Addicti enim nexique omnes nihil plus, quam
ſeruitutem ſuam complorabant, & quae ſeruitutem comitari ſolebant, tormenta, cruciatus, vincula, ergaſtulum. Vnde quum nusquam huius venditionis men 29
tio fiat, magnum indicium eſt, ſolam addictionem,
quae iam ante decemuirales leges obtinuit, etiam poſt
illam in vſu manſiſſe, quod etiam Suid. *in voce γάϊος*
pag. 588. & Val. Max. *lib.* 6. *c.* 1. *n.* 9. colligimus. Conf.
Franc. Balduin. *ad LL. XII. tabb. cap.* 45. Qui vero 30
hoc modo ſeruiebant, ii non ſerui, ſed *addicti* dicebantur, inter quos quid interſit, egregie demonſtrauit
Quinctil. *lib.* 7. *c.* 3. & *Declamat.* 311. Tandem vero & 31
huic poenae ſubuentum eſt remedio *Ceſſionis Bonorum* inuento, lege Iulia, quam C. Iulio Caeſari acceptum fuerunt, qua obaeratus debitor bonis cedendo
moleſtias carceris & creditorum effugere poterat *L.*
1. *&* 14. *C. qui bon. ced. poſſ.* quod flebile adiutorium
L. 7. eod. & miſerabile auxilium *L. vlt. dict. tit.*

Digitized by Google

in locum poenae capitis introductam putat Contius, rurſus obtinuit, quam infamia comitabatur, quo caſu, ſi non ſufficiebant bona iudicato, in vincula & carcerem addictum fuiſſe, de ſuo quoque aeuo teſtatus eſt
33 Gell. *lib.* 20. *c.* 1. Ipſa vero bonorum ceſſio ex L. Iulia, vt aliae ceſſiones, in iure ſolemnibus verbis fieri debebat, *L.* 6. *C. qui bon. ced. poſſ.* donec Theodoſius M. ſola voluntatis declaratione, quocunque tempore ac loco, etiam extra ius illam fieri permiſit, *L.* 2. *C. Th. qui bon. ex L. Iul. ced. poſſ.* quod & Iuſtinianus
34 confirmauit *L.* 6. *C. eod.* proinde quod in *L. vlt. ff. de Ceſſ. Bonor.* dicitur, bonis non tantum in iure cedi, ſed etiam extra ius poſſe, a Triboniano eſt, cui ſimile
35 etiam obſeruatur in *L. poen. eod.* Sed quum ſaepius huic beneficio a debitoribus fraus fieret, atque inter cetera rebus in abdito locatis, vel bonis luxurioſe dilapidatis, cedere ſolerent, Gratianus & Valentinianus Impp. *L.* 1. *C. Th. qui bon. ex L. Iul. ced. poſſ.* illud eatenus reſtrinxerunt, vt bonis cedentes ſecuritatem non obtinerent, niſi non ſuo vitio, ſed fortunae iniuria, veluti naufragiis, latrociniis, incendio, & alio quouis maioris impetus infortunio, ſe perdidiſſe docerent, liquidoque probarent, quam probationem ite-
36 rum Iuſtinianus remiſit *No.* 135. dummodo iuraret cedens, ſe parem ſoluendo non eſſe.

37 In realibus vero actionibus & in iſtis perſonalibus, quibus certa res exſtans petebatur, v. g. in commodato, depoſito &c. rei iudicatae mox ſatisfieri debuit, quippe in his iudicis officium erat, ut ſtatim iuberet

beret rem domino reſtitui, niſi poſſeſſor cauſſetur, ſe in praeſenti reſtituere non poſſe, atque dilationem peteret, quae ei ſub ſatisdatione de litis aeſtimatione in caſu non factae reſtitutionis ſoluenda, ſi absque fraudatione hoc diceret, indulgebatur §. 2. *I. de Off. Iud. L.* 11. *ff. de R. V.* Ant. Faber *lib.* 7. *Coniect.* 1. Duaren. *ad L.* 2. *de Re iud.* Quantum autem temporis concedi debuit, id iudicis arbitrio fuit, vid. Menoch. *Arbitr. Iud. caſ.* 28. Contra contumacem vero in litem iura- 38
bat actor, aut ſi rem petitam mallet, militari manu ea condemnato auferri & tradi petitori ſolebat. *L.* 63. *ff. eod.*

Atque haec ſunt, quae in priuatis iudiciis apud 39
Romanos obſeruata fuiſſe, nobis obuenerunt: nunc ordo poſtularet, vt eodem modo & publica iudicia proſequeremur, ſed quum praeter opinionem haec prior pars diſſertationis modum iam aequauerit, ea, quae dicenda reſtant, in aliud tempus reiicimus. Tu vero, B. L. ſi quid hallucinati ſumus, quod in abſtruſa hac materia perquam facile fieri potuit, defectus noſtros pro ea, qua polles, dexteritate ſupple, & ſi quid minus accurate dictum, inexercitato meo in hoc ſcribendi genere ſtudio condona. Interim Deo Optimo Maximo ſit laus, honor & gloria.

Digitized by Google

COROLLARIA.

I.

In praeſcriptionibus actionum, tam realium quam perſonalium, bon. fid. omni tempore exigitur.

II. Iniuriarum actio aeſtimatoria, quia meram vindictam perſequitur, vendi non poteſt, immo plane impia eſt.

III. Nec cedi poteſt actio, qua donatio propter ingratitudinem reuocatur.

IV. Minus laudanda praxis locorum, ubi ſubhaſtatio ad verum rei pretium indagandum fieri ſolet.

V. Etiam in venditionibus ſub haſta factis, ob laeſionem enormiſſimam *L. 2. C. de Reſc. Vend.* locum habet.

VI. Locatio ad longum tempus facta ius reale non tribuit.

VII. Agitata controuerſia eſt, an pater filiam diuitem dotare teneatur? nos adfirmatiuam defendimus.

VIII. Liberos in teſtamento paterno exheredari poſſe non dubitamus.

IX. Ad viſibilia vitia teſtamenti non referendum, ſi illud in charta non ſignata, (auf kein geſtempelt Pappier) ſit ſcriptum.

A011471756

Digitized by Google